

III. Ea 5

# Poëtici Flores

Gloriae et Honori

Novem Summorum Pontificum

Qui sub electo Nomine:

**PIUS PAPA,**

Ecclesiam Dei gloriose regentes,

Cathedram S. Petri

Munere et opere suo Apostolico illustrarunt,

dicati ab

**Antonio Kovačić,**

Dioecesis Diakovensis Presbytero.

---

ESSEKINI 1869.

Knjižnica sjemeništa  
u Djakovu.

K. I.

4.






C. Hofmann. Sc.

Verlag von Dr. F. Hartwein in Wien.

Wohltemperirte 27. 9.

PIUS IX.  
ALS PAPST UND ALS KOENIG

Vereinfachung nach dem



XXXVII. 13. 4

# Poëtici Flores

Gloriae et Honori

Novem Summorum Pontificum

Qui sub electo Nomine:

**PIUS PAPA,**

Ecclesiam Dei gloriose regentes,

Cathedram S. Petri

Munere et opere suo Apostolico illustrarunt,

dicati ab

**Antonio Kovačić,**

Dioecesis Diakovensis Presbytero.



DUOČINA MLADEŽI

ESSEKINI 1869.

Typis Ignatii Mederschitzky.

In omnem terram exivit sonus eorum:  
Et in fines orbis terrae verba eorum.

Psalm. 18, 5.

## ELOGIA.

### I.

Omnis, qui pie volunt vivere — In Christo Jesu, — Persecutionem patientur. **2. Tim. 3, 12.**

### II.

Longe divulgatum est nomen tuum,  
— Et dilectus es in pace tua, — In cantilenis, proverbiis et comparationibus,  
— Et interpretationibus miratae sunt terrae.  
**Ecli. 47, 17. 18.**

### III.

Corona aurea super caput ejus, — Expressa signo sanctitatis, — Gloria honoris, et opus fortitudinis. **Ecli. 45, 14.**

### IV.

Ut audiam vocem laudis, — Et enarrarem universa mirabilia tua. — Domine dilexi decorem Domus tuae, — Et locum habitationis gloriae tuae. **Psalm. 25, 6 — 8.**

V.

Dilectus Deo et hominibus, — Cujus memoria in benedictione est. — Similem illum fecit in gloria Sanctorum. **Ecli.** 45, 1. 2.

VI.

Invocavit Dominum Omnipotentem — In oppugnando hostes circumstantes undique. — Ante tempus finis vitae sua, et saeculi — Testimonium praebuit in conspectu Domini, et Christi. **Ecli.** 46, 19. 22.

VII.

Altaria tua destruxerunt, — Prophetas tuos occiderunt gladio, — Et quaerunt animam meam, ut auferant eam. — Et ait Dominus: Vade, et revertere in viam tuam. 3. **Reg.** 19, 14. 15.

VIII.

Deus homini bono in conspectu suo — Dedit sapientiam et scientiam, — Et laetitiam. **Ecl.** 2, 26.

IX.

In medio Ecclesiae — Aperuit os ejus, — Et implevit illum Dominus — Spiritu sapientiae, — Et intellectus, — Et stolam gloriae induit eum. **Ecli.** 15, 5.

# S. PIUS I. P. M.

(Anno Chr. 142—153.)

Omnes, qui pie volunt vivere.

Ave sancte, gloriose  
Papa Martyr Domini,  
Coeli phoebo speciose  
Fautor omni homini,  
Tuo heros generose,  
Laus in aeva nomini !

Istud ecce pium nomen  
In supernis emicat,  
Et in terra bonum nomen  
Omnis amat, praedicat,  
Dum avernus Crucis omen  
Esse vile, judicat.

Credo, vera pietate  
    Nihil amabilius,  
Super omni dignitate  
    Decus haec, nobilior,  
Eja vitae honestate  
    Quidnam optabilius ?

Tamen pauci Numen colunt,  
    Coeli terrae Dominum,  
Non adorant, Eum nolunt,  
    Qui Creator hominum,  
Creaturas, opes volunt  
    In honore nominum.

Nos in aevo sancta fides  
    Alit, spes et charitas ;  
Tu in coelo Deum vides,  
    Ubi summa claritas,  
Inter illos jam renides,  
    Quos beavit veritas.

Pax ubique Christianis  
    Sub tuo regimine,  
Nemo laesus a paganis,  
    Providente Numine,

Sed conversi a profanis  
Multi Christi lumine.

Marcionem, Valentinum,  
Aliosque Gnosticos,  
Qui laeserunt heu, Divinum,  
Fugis ut haereticos,  
Panem offers Deo, vinum,  
Colis omnes Coelicos.

Pietatis ipse laude  
Servis Alto credulus,  
Ut minister sine fraude  
Hero agit sedulus,  
In aeternum modo gaude,  
Angelorum aemulus.

Conditorem mundi ora,  
Quaeso, pro Fidelibus,  
Convertantur, id exora  
Sancte! infidelibus,  
Et felices mortis hora  
Induc altis aedibus.

Papa factus post Hyginum,  
Numini placueras,

Qui coaevum Antoninum  
Caesarem habueras  
Dictum Pium, et Justinum,  
Quem item colueras.

Pontifex in dignitate  
Similis Apostolis,  
Jure gaudet, potestate  
Super orbis incolis,  
Et Fideles sanctitate  
Bonae regit indolis.

Celse Martyr! decoratus  
His fuisti dotibus,  
Ad orandum qui paratus  
Pii cordis motibus,  
Laicis eras ita gratus,  
Sicut Sacerdotibus.

Tu ornasti Petri Sedem  
In sublimi munere,  
Recepisti jam mercedem  
Pro fidi operi,  
Meruisti coeli aedem  
Super omni sidere.

### In Christo Jesu.

Venit altus in hunc mundum  
Dei vivi Filius,  
Docet bonum et jucundum,  
Quid huic utilius,  
Ut devitet sic profundum  
Orcum, mala illius.

Mille annis nunciatus  
Ante per oracula,  
Signa fecit, admiratus  
Mundus en miracula,  
Pro salute tum oblatus  
Agnus abque macula.

Ultima, cum nos dilexit,  
Coena fit memoria,  
In triumpho resurrexit,  
Clarus in historia,  
Ad sublime nos evexit,  
Honor illi, gloria !

Tamen multi sunt ingrati,  
Nec agnoscant Dominum,  
Ah, infernum aemulati,  
Quis Salvator hominum?  
Quisnam poli Rex stellati?  
Mille auctor nominum?

Eis actus pietatis,  
Fideique displicant,  
Saepe vetant, veritatis  
Ut ministri praedicent,  
Aut pro throno sanctitatis  
Christiani dimicent.

Bone Deus! te amare  
Toto corde, facile,  
Gratiamque invocare  
Tuam, Christe! utile,  
Ut patroni aestimare  
Benefacta, nobile.

Sancta vita, lux virtutis,  
Solis instar radiant,  
Pulchritudo juventutis,  
Litterae quam sociant,

Certa signa sunt salutis,  
Cui Fideles inhiant.

Hinc amice lector ! vides,  
Dei invocatio  
Quod honori cedat, fides,  
Pietas, oratio ;  
In adversis ne formides,  
Laeta spes solatio.

Super omne autem bonum  
Enitescit charitas,  
Pretiosum coeli donum,  
Uti sancta veritas,  
Quae nos dicit ante thronum,  
Ubi Summi claritas.

Quis docebat haec in primis  
Bona evidentia ?  
Dei Verbum, o sublimis  
Patris sapientia,  
Qua creata sunt ex imis  
Tanta mundi entia.

Philosophi ac Poëtae,  
Heroumque legio

Nescit aeva de planetae  
Luce, cursu regio,  
Numerum, et quo cometae  
Gaudent privilegio.

Isti volunt perscrutari  
Majestatem Numinis,  
Babel actus imitari,  
Sui causa nominis,  
More talpae operari,  
In defectu luminis.

Probe decet adorare  
Hos Supernum providum,  
Ejus lumen invocare  
Sole magis splendidum,  
Toto corde redamare  
Salvatorem placidum.

Nam in mundo Christo Duce  
Nullus amabilior ;  
Quis divini Verbi luce  
Nitor spectabilior ?  
Nec salutis alta Cruce  
Casus mirabilior !

**Persecutionem patientur.**

Pio corde reverentes  
Dei beneficium,  
Odio sunt offerentes  
Ei Sacrificium,  
Quasi poenam promerentes  
Propter beneficium.

Sic evenit jam antiquo  
Cain et Abel tempore,  
Quando frater en propinquo  
Praevalebat robore,  
Et in campo haud longinquo  
Laesit hunc in corpore.

Esau Jacob sic germanum  
Odio prosequitur,  
Sine causa cum insanum  
Vitae modum sequitur;  
Eum Laban, ejus vanum  
Gaudium, insequitur.

Ita Joseph inimici  
In cisternam miserant,  
Quem a patre benedici,  
Et laudari viderant,  
Tunc experti cor amici,  
Dum Aegyptum viserant.

Regi David maledixit  
Inimicus Semei,  
Vates autem benedixit  
Huic amore o Dei,  
Psaltes enim pie vixit,  
Non ut mali athei.

Sic Prophetas persecuti  
Sunt eis temporibus,  
Neque illos prosecuti  
Meritis honoribus,  
Qui jam coelum assecuti  
Ovant in splendoribus.

Dein mundi Reparator,  
Certa salus illius,  
Venit Jesus ut Salvator,  
Ipse Dei Filius,

Docuitque moderator,  
Quid ei utilius.

Persequuntur aequa istum  
Bonum aevi medicum,  
Nec agnoscant eum Christum,  
Qui decus Angelicum,  
Gemmam habent amethystum,  
Vilipendunt coelicum.

In salutem animarum  
Coetus Apostolicus  
Institutus, ut earum  
Curam agat ethicus,  
Mundi lumen sane clarum,  
Chorus Evangelicus.

Sanctum Petrum crucifigunt  
Domini Vicarium,  
Christianos en affigunt,  
Parant his martyrium,  
Mille plagas eis infligunt,  
In abusu virium.

Contra illos, qui Romani  
Fidei Praepositi,

Ferebantur ah, immani  
Odio indomiti,  
In conatu sed inani,  
Fide victi, perdit*i*.

Gemmae fulgent in Corona  
Hodie Pontificis,  
Juvat omnis terrae zona  
Opibus munificis ;  
Roma complet vota bona  
Singuli artificis.

Inter omnes regiones  
Urbs Romana eminent,  
Regit ample millions,  
Quod Fideles attinet,  
Arte, cultu ditiones  
Praeit, laudes obtinet,

Ecce viva Christi fides,  
In Dei memoria,  
Pie homo, ne formides,  
Nuncia historia,  
Qui triumphum coeli vides,  
In Sanctorum gloria !

## PIUS II.

(Ann. 1458 — 1464.)

Longe divulgatum est nomen tuum.

**E**cce Poëta nitens, redimitus tempora lauro,  
Actibus insignis tum munere Pontificali.  
O Fortuna! mihi jam causas dicio: Quare  
Tam variare soles, versuta, fugacior undis?  
Cur isti celebrique Viro nova fata parasti?  
Casu laeta manes, vultum modo sumis acerbum,  
Quolibet es folio, quavis incertior aura,  
Natura solum constans levitate videris.  
Audaces, Fortuna! juvas mitesque repellis,  
Immeritos opibus laetis et honoribus auges,  
Pauperie vero justos homines premis aegre.  
Nec quos clarificas, semper tu protegis alte,  
Concedis famam multis a laudis amore,  
Hora dein mortis sequitur, vel dedecus aevi.

Me nunc alloqueris Fortunam? scito, Poeta!  
Quod Deus omnipotens celsi moderator olympi,  
Qui fera terribili jaculatur fulmina dextra,  
Qui regit immensam justo moderamine molem,  
Quique movet nostros per tot miracula sensus,  
Lumina sideribus qui dat, sua semina terris,  
Atque nives spargit gelidas, et nube salubri  
Elicit optatos herbis sitientibus imbræ,  
Qui pelagus fluitare juvat, consistere montes,  
Et volucres nutrit, violas et lilia curat,  
Qui corpus mentemque dedit, jam tempus ab aevo  
Ire jubet, stabilisque manens dat cuncta moveri,  
Omnia disponat juste, sapienter, amoene.  
Ipse regit mundum, certa stant omnia lege!  
Et sane verum dixit Fortuna Poëtis,  
Historicis aequa Scriptoribus et Philosophis;  
In fastis etenim claret veneranda potestas  
Aeterni Regis variam sortem tribuentis  
Omnibus imperiis, populis, cuivis hominique,  
Isti praesertim Scriptori, porro Poëtae,  
Summo Pontifici, quem constitui celebrare  
Heroem fidei modo carmine laudis, honoris.

Italiae fastis Aeneas Bartholomaeus  
Sylvius hic Piccolomini jam nobilitate

Romana celebris, Senensi progenieque.  
 Civilis quando revolutio crevit in urbe  
 Senensi, fugit reliquis cum civibus inde  
 Illius genitor; Corsini filius iste  
 Hinc natus fuerat, successu temporis agros  
 Ruris opus coluit, dum pauperie premerentur.  
 Ter sextus vitae sic illi praeterit annus.  
 Immaturus adhuc, licet esset nobilis ortu,  
 Ad socios venit perversos hinc levis aequa  
 Evasit, sicut reliqui; sed gratia Christi  
 Tentatum juvenem non deseruit, vocat illum  
 Consilio Domini qui divi Pastor ovlis  
 Fulgebit, Pius historia referente, Secundus.  
 Humano generi libertas, hinc operari  
 Quisque valet, sicut sapit, aut intelligit, optat;  
 Conscia mens recti nos omnes dirigit, ornat.  
 Ista velis sane perpendere, lector amice!  
 Dum legis historia multos errasse bonosque.

Ingenio quoniam subtili, dexteritate  
 Praeditus eminuit, juvenem misere Sienam,  
 Ut Musis operam navet Juris studiosus.  
 Ergo Rhetoricae blanda solers studet arti.  
 Incipit Italicos Hymnos componere, Versus  
 Atque Latinus ei placuit, festiva Poesis.

Mox inter Florentinos, civesque Sienae  
Exoritur bellum, simul urbs haec sic odiosa  
Facta fuit multis, quod Sylvius in bona pacis  
Sane consultum sibi duxerit, hinc proficisci.  
Capranicae paulo post Secretarius ipse  
Cardineo Domino, qui recte Basiliense  
Concilium visit celebrandum, Pontificisque  
Eugenii Quarti fuit aemulus, associatur.  
Adjunctis variis fit Secretarius ille  
Albergati Cardinei, qui tunc mediator  
Judiciis inter Gallos electus et Anglos,  
Virginis Orleanae post mortem, bellica fata.  
Sylvius Aeneas quamvis laicus, tamen ejus  
Conventus scriptor socialis Basiliensis  
Eligitur! quoniam vero Coetus fuit iste  
Legitimi Papae tunc adversarius, aequa  
Sylvius evasit talis, cum Schismaticisque  
Felicem sequitur, qui Contra-Papa vocatus.  
Mox quem Parnassi deserta per ardua dulcis  
Raptat amor, Phoebi sublimi carmine clarus  
Obtinet applausu Doctorum serta Poëtae;  
Ingeniosus ovat redimitus tempora lauro,  
Sic Vatum numerum, decus auget frondis honore.  
His rebus gestis, claris natalibus ortus,  
Nobilis et fama multis memoratur in oris.

**Et dilectus es in pace tua.**

Pacis amans dilectus erat, sublimis honore  
Coram Principibus, quorum favor est pretiosus.  
Munus Consilii spectabilis a Friderico  
Suscipiens, ab eo Legatus mittitur aulae  
Ad multos Reges diplomaticus bonus actor.  
Munere praeclarus semet distinxit ubique,  
Cum multis aliisque Viris, veluti celebratus  
Nicolaus Cusa fuerat, nec non Fridericus,  
Legitimi Papae sectator factus amicus.  
Sylvius Aeneas inclaruit ut mediator  
Imprimis Francofurti, Germanica quando  
Concordata Duces sanxerunt, Ecclesiaeque  
Imperii pacem curarunt foedere justo,  
Pontificem summum venerantes in pietate.  
Gratia dum sequitur meritum, fit Episcopus urbis  
Tergesti primum, tunc Senensis genialis  
Sylvius Aeneas, paulo prius Ordine sacro  
Presbyter effectus, postquam laicus fuit ante.  
Munere porro novo Praesul sapienter agendo  
Perfecit paulo post Concordata Viennae,  
Juribus Ecclesiae sanctae nimis utilitati.

Postea Cardineo Titulo celse decoratur,  
Qui claris meritis nituit, paeconia Romae,  
Ecclesiae Christi zelavit, jura, triumphum.  
Vix anni spatium transit, dum Papa Calixtus  
Tertius e vita migravit pace beata;  
Et cunctis votis electus Sylvius, Alto  
Disponente, Pius qui nomine Papa Secundus,  
Ecclesiam Domini prope senos rexerat annos.

Mille trecenti anni fugiunt, et nullus amavit  
Pontificum nomen Pietatis sumere charum:  
Namque Pios homines mundus non diligit, imo  
Persequitur justos, ut Paulus Apostolus inquit.  
Anni quinque fere sunt elapsi modo, postquam  
Cultores Mahometani Ducis obsidione  
Constantinopolim ceperunt armipotentes.  
Hinc Pius officio sacro sibi duxit, honori,  
Invitare Duces Europae nomine Christi,  
Protinus ut compar exercitus instituatur,  
Qui Cruce signatus defendat religionem,  
Et patriae cives; numerus nam Catholicorum  
Captivus gemuit victoris jussa superbi.  
Virgilii natale solum, tunc Mantua clara  
Eligitur quo convenienter omnes, Mahometi  
Qui superare volunt aciem, turmas inimici.

Lemnia mox Equitum classis cultuque Mariae  
Ordine sublimi ratibus defendit ubique  
Per mare Christicolas contra Turcas furiosos.  
Proh dolor, invitans Pius Europae modo Reges  
Atque Duces omnes, non invenit, quod amavit,  
Auxilium contra bellum, quod continuarunt  
Ottomani saevi spirantes fulmen et ignes.  
Credere nolebant illi, quod bellica turba,  
Virtutis, fidei Christi saevissimus hostis  
Possit in Europam penetrare, dein regiones  
Praedari, vel captivos abducere centum  
Millia, fortuna varia per saecula trina.  
Si cuncti perpendissent illud sapientis:  
Principiis obsta, sero medicina paratur,  
Dum mala per tempus longum fors invaluere;  
Viribus unitis contendissent inimicum,  
Illico dum venit, validis patria removere  
Armis quisque sua, ne postea tanta per orbem  
Damna pararet eis, dum vincitur ipse Vienae.

Cum Reges invitati Papam renuebant  
Exaudire, novam componere militiamque  
Tentavit ratione pia, scriptoque libello  
Ipsum Sultanum fidei convertere Christi.  
Scribit ei, nostri quae sit praestantia cultus

Christi; namque Dei vivi qui Filius alti,  
Prodigiis multis signisque suam Deitatem  
Rite probavit, opus coeli, fundavit et unam  
Ecclesiam, Petrum cui praeficiebat amore  
Coelesti plenum, cui successere ducenti  
Summi Pontifices Romae cum juribus ejus.  
Commentis autem, facta pietate prophetae,  
Legibus allexit populos Mahometus inquis,  
Incassum nitens Petri submergere navem,  
Haec etenim Domini permissu fluctuat aevi  
Sortibus in variis, tamen haud submergitur unquam.

Dum Pius observat, fidei quod inutile scriptum  
Esset, constituit solus pro nomine Jesu  
Dux fieri Cruce signatis, et vincere Turcam.  
Convocat hinc socios, quos dirigit ordine belli,  
Aequoream classem videt Anconae numerosam,  
Navem concendit; sed mors non sivit eundem  
Quod voluit sapiens et praestans, exoperari.  
Abstulit atra dies hominem, qui semper amatus  
A Ducibus, populo, Clero, bellique cohorte,  
Sic ut ei bene conveniat textus Salomonis  
Laudibus ante sonans, nunc hujus carminis usu:  
Nomen honore tuum divulgatum, Pie Papa,  
Pace tua dilectus eras, id enim meruisti!

**In cantilenis, proverbiis et comparationibus.**

Quid prius incipiam, lector, laudare? Poetam,  
Sylvius Aeneas qui nomine claruit olim?  
Aut Diplomaticum Legati munere functum?  
Historicum, Reges, decus Imperii celebrantem?  
Philosophum, causas quia naturae speculatus?  
Ingeniosus erat virtute Theologus idem,  
Praelatis multis et Secretarius aulae,  
Conciliique Notans in munere Basiliensi,  
Consiliarius Imperii Ducis en Friderici,  
Nobilis hic fama justa decoratur in aevo,  
Ingenitae siquidem stat nobilitatis in illo  
Pulcher honos, et digna suis natalibus ora.  
Nam quid imaginibus, quid avitis fulta triumphis  
Atria, quid pleni numeroso consule fasti  
Profuerint, cui vita labat? Perit omnis in illo  
Nobilitas, cui laus in origine, stemmate solo.  
Vita sed Aeneae clara virtute refulsit,  
Hinc fuit ornatus lauro vir honestus, apertus,  
Dilectus, doctus, praestans dulcedine linguae,  
Musarum cultor, felici carmine clarus.

Observare vales geniales mille Poëtas,  
Eja sacerdotes alti phoebi, citharaque  
Dulcisona clarent, modulis per cantica laeta,  
Qui prodesse volunt, aut delectare faceti;  
Vix tamen inter eos unus, qui sic celebravit  
Numinis excelsi decus, ut Pius iste Secundus  
Verbis et scriptis, tum munere Pontificali.  
Inclyta pacifici proverbia dum Salomonis,  
Coelitus infusa doctrina qui radiavit,  
Atque Palaestini laqueavit culmina templi,  
Aestimio digno Regis cum laude leguntur;  
Non minus eluent oracula Pontificatus,  
Dum vigil Aeneas ascendit culmen honoris.

Virgilium quando pater arguit ingeniosum,  
Carmina quod pangat juvenis, quia dives in orbe  
Nemo Poëtarum factus, queis unica fama,  
Artis Rhetoricae vero studium locupletat;  
Parte sua recte sensit, minime tamen ille  
Perpendit, melius, magis utile, pulchrius esse  
Divitiis multis Sapientis nomen amatum,  
Quo jam Virgilius splendens in tempora nostra,  
Facundus vates, felix Aeneidos auctor,  
Eximum decus Italiae, Latialis Homerus.  
Sylvius Aeneas aequali sorte refulgens

Omnibus exemplo poterit servire Poetis,  
Quod Fortuna memor sit saepius et Lyricorum.  
Historicus scriptor veteris non inscius aevi,  
Clarorum titulis volvens monumenta Virorum,  
Libros ipse duos scripsit de Basiliensi  
Concilio magno, qui commentaria sane  
Illiis Coetus declarant omnia gesta.  
Fata Bohemorum Regum, populique notavit.  
Porro libros Cosmographiae luci dedit idem.  
Descripsitque situm, mores et conditionem,  
Germani quali gavisi pluribus aevi.  
Ortum, progressum dein Imperii celebravit  
Romani, fines hujus, quae jura, potestas.  
Omnia signavit, Fridericus quae peragebat  
Imperii Princeps, dum Germanos bene rexit.  
Res dignas tabulis et commentaria morum  
Illiis temporibus, libris scripsit duodenis,  
Retractio item valet ejus, qua reprobavit  
Omnia, quae contra Primatum censuit ante.  
Semper amicitiae solemnis Epistola chara,  
Miserat hic ultra quadringentas ad amicos.

Innumeros libros scripsit doctissimus auctor ;  
Nescio, quod laudem magis inter eos, Opus omne  
Ordine concinnum, verborum flumine clarum,

Materia, thesum farragine dives et amplum,  
Non minus ingenio quam sedulitate redactum,  
Impressumque typis nulli manuale secundum,  
Utile, qua late patet illud misit in orbem,  
Est exantlati verum paradigma laboris,  
Doctrinae ramos ubivis protendit opimos.  
Sylvius Aeneas bene mentis acumine magno,  
Dexteritate pari docuit, perstringit acute,  
Scripta fatim propugnat, et omnia themata solvit,  
Clare deducit, prolixius explicat illa,  
Si quod adest dubium, genialiter omne resolvit,  
Provocat ad fontes, quosquos aliunde citavit,  
Tractatusque vagos studuit doctissimus auctor  
Conciliare modis, hos conformare statutis,  
Textum decretis ubivis stabilire citatis,  
Illustrare notis claris ubicunque necesse,  
Immarcescibilem palmam sibi vindicat inde.  
Quisque status, Clerus, Civilis, Militiaeque  
Ejusdem libros insignes legit amanter.  
Docti mirati sunt omnes ista Poëtae,  
Historici quoque, Philosophi documenta legentes,  
Quae scriptor nobis optata reliquit amatus;  
Inelytus ut quondam Salomon oracula dicens,  
Rex populi festis gradiens ad templa diebus,  
Splendidus aurato micuit spectabilis ostro.

**Et interpretationibus miratae sunt terrae.**

Postquam non faveat dives Fortuna Poëtis,  
Phœbus eos blande solari venit ab alto.  
Incipit, et charas addit pro tempore voces:  
Quid petitur sacris, nisi tantum fama, Poëtis?  
Ovidius cecinit, Pelignæ gloria gentis,  
Carmine Parnassi decus immortale Latini,  
Fato Sarmaticas longe projectus in oras.  
Sunt hominum multi sensus, diversaque vota,  
Quis valet illorum desideriis moderari?  
Unus amat numos, virtutem diligit alter.  
Tertius exoptat plus laetitiam paradisi,  
Deliciis inhiat quartus, titulis et honori,  
Quintus ovat rebus gestis aut nobilitate,  
Sextus amicitiae colit actus, foedus amoris,  
Septimus ignavus vult desidis otia vitae,  
Artibus ingenuis octavus navat amoenis,  
Nonus doctrina, studiis praecellit in aevo,  
Officio decimus sublimi vult dominari,  
Undecimus belli per turbas inclytus heros,  
Duodecimus claret genialis pacis amicus.

Dum votis, actis homines differre videmus,  
Semper ea sphaera, vitae ratione fruentes:  
Ecce Poëta valet modulari, liberiori  
Aura, coelorum terrae late regiones  
Visere, testari laete sua sensa per hymnos;  
Quae bona sunt, sicut Deus optat, coelicus ordo  
Sidereus, fidei Christi cultus, celebrare;  
Quae mala sunt vero, socialia crimina fraudis,  
Vel dolus, insidiae, pravae convicia linguae,  
Justitiae legis contemtus, vituperare;  
Quae porro decori, laudi sunt, magnificare,  
Quin humanus eum respectus ducat inique,  
Sicque Poëtarum virtus et gloria crescit!  
Fama malum, quo non aliud velocius ullum,  
Mobilitate viget, vires acquirit eundo,  
Nuntia fama loquax, quae veris addere falsa  
Gaudet, vel minimo sua per mendacia crescit  
Si tamen est Vates insignis, cultor honesti,  
Et veri, pulchri, moralis, justitiaequae;  
Publicus et mundi sermo verax, ut oportet,  
Laus erit excellens, praeconia summa Poëtae.  
Dumque bonum nomen melius, quam mille talenta  
Auri, divitiae multae, veluti sapienter  
Edixit Salomon fama spectabilis, ostro:  
Quid plus in mundo valet exoptare Poëta?

Non tantum fastis claret persona Poëtae,  
Sed pariter felix illius opus celebratur.  
Sicut enim Phoebi sapiens Heliconia turba,  
Nempe novem Musae praecellunt ingeniosae,  
Laudantes Regem coeli, pia facta canentes;  
Quinque nitent pulchrae, comes Artes in honore.  
Musarum coetus diverso munere functus:  
Clio gesta canens transactis tempora reddit,  
Melpomene tragicō proclamat moesta boatu,  
Comica lascivo gaudet sermone Thalia,  
Doctiloquis calamos Euterpe flatibus urget,  
Terpsichore affectus citharis movet, imperat, auget,  
Plectra gerens Erato saltat pede, carmine, vultu,  
Carmina Calliope libris heroica mandat,  
Uranie coeli motus scrutatur et astra,  
Signat cuncta manu, loquitur Polyhymnia gestu.

Virgineum coetum Musarum qui celebravi,  
Artibus ingenuis et pulchris quinque litabo.  
Inter eas Architectura locum tenet usu  
Praecipuo domuum, templi, seu Numinis aedis;  
Si cernis Regum palatia splendida luxu,  
Aulas magnificas domini cuius speciosas,  
Huic Arti grates habeas, opus, artificemque  
Lauda, cultura pulchri jam progrediente.

Tum Sculptura viget, Statuaria, gesta Virorum  
Inclyta caelantur dignis in honore figuris;  
Gaudet, nam Sculptor mira feliciter arte  
Sculpit ebur, velut aes, argentum, marmor et aurum.  
Pictor, praestantes cuius manus aemula formas  
Exprimit, in pulchris effingit bella tapetis,  
Montes, antra, lacus, urbes, Heliconia tempe,  
Elysi flores; Pictoribus atque Poëtis  
Quidlibet audendi semper fuit aequa potestas.  
Musica festivo cantu laudes, benefacta  
Numinis extollit, chara dulcedine sensus  
Demulcet nostros, jucunda voce theatri;  
Sicut res multae, melos in vario placet usu.

Artibus in pulchris effulgens ordine quinta  
Clara Poësis, ave, mundum quae laetificasti  
Vatibus; inter eos etiam Pius iste Secundus,  
Carmine dilectus Musis, Phoebique sacerdos  
Emicat, exemplo raro fastis celebratus  
Scriptor ut historicus, Diplomaticus, Philosophus.  
Tum Geographus, item Jurista, Theologus altus.  
Sorte Poëta dein redimitus tempora lauro,  
Actibus eximiis nituit, splendore Tiarae  
In Cathedra Petri, sublimi Pontificatu,  
Ut sint mirati merito cuncti super istud.

# PIUS III.

(Anno 1503.)

**Corona aurea super caput ejus.**

A morte Papae, qui Pius  
Secundus olim claruit,  
Sororis ejus filius  
Thronum Petri conscenderat.

Postquam Corona aurea,  
Tiara frontem cinxerat  
Pii novi Pontificis,  
Decem dies effluxerant.

Deique providentia  
Volente, coelos illius  
Advit altus spiritus  
Manente fastis nomine.

Dum sermo jam de Principe,  
Praeposito Ecclesiae,  
Honore sive munere,  
Juvabit quaedam dicere.

Qui principali munere,  
Vel dignitate gestiunt,  
Vel litteris aut artibus,  
Sunt gloriosi nomine.

Honore fulgent Praesides,  
Coluntur aequi Judices,  
Nam publicum qui dirigunt,  
Merentur aevi gloriam.

Obsequium parentibus  
Praestare debent filii,  
**A**mare tales convenit,  
Qui sunt patroni millium.

Humana nos hoc edocet  
Natura, sana ratio,  
Confirmat hoc Ecclesia,  
Lex utriusque Foederis.

Sic Patriarchas novimus  
Litare Sacrificium  
Honoribus celsissimi,  
Qui nos creavit, Numinis.

A filiis, nepotibus  
Coluntur hinc in saecula,  
Pro tam sacratis actibus  
Eis secuta gloria.

Quis ordinem Melchisedech,  
Dei sacerdos qui fuit,  
Ignorat, actus Abrahae,  
Dum vovit illi decimas ?

Hi Principes concordiae  
Exempla viva Regibus ;  
Si Civitas Ecclesiae  
Addicta, pace gestiet.

Deinde Moyses coelitus  
Vocatus alte legifer,  
Propheta, qui miracula  
Patravit ante Pharium.

Excelsus Aaron claruit,  
Summi sacerdos Numinis,  
Ei dedit facundiam,  
Qui Rex, Creator omnium.

Beavit illum gloriae  
Stola, Corona, purpura,  
Gyroque tintinnabulis,  
Decoris humeralibus.

Gemmis honoris Israel  
Sunt filiorum nomina  
Inscripta, pro memoria,  
Nativitatis ordine.

Opus vides artificum,  
Auri figuras, textile,  
Doctrina fulget, veritas  
Ut pectoralis annuli.

In fronte sic Pontificis  
Super tiaram lamina  
Auro micat purissimo  
Sculptura: Sanctum Domino.

**Expressa signo sanctitatis.**

Antiqua constitutio  
Praecepit altis prosequi  
Honoribus Pontificem,  
Qui summus Dei nuncius.

Jam tunc beato munere  
Item Corona fulgidus  
Antistes arae Numinis,  
Legis supremus arbiter.

Vocatus Aaron coelitus  
Sacri ministros ordinat,  
Ut mediator populi  
Litat, Supernum consultit.

Impleta postquam lex Dei  
Antiqua, Moysis jubare;  
Summus novique Foederis  
Romanus albet Pontifex.

Antiqua Roma claruit  
Regina mundi, solio,  
Heroibus, potentia,  
Io triumphhe, gloria.

Moderna multum celsior  
Throne nitens Pontificum,  
Vixisse, Christi jubare,  
Catholicorum laudibus.

Divina Christi gratia  
Nunc adjuvat Ecclesiam,  
Cui Petrus est praepositus,  
Dei professus Filium.

Successor ejus munere,  
Coeli beatus Clavibus,  
Christi nitet Vicarius,  
Cui sancta lex auctoritas.

Dum vera mille procreat  
Fides salute Coelites,  
Honore Christi Pontifex,  
Vide, Pater sanctissimus.

In sanctitatis lumine  
Tiara Papae splendida,  
Per dena cui jam saecula  
Corona Regis aurea.

Dum Pontifex solemniter  
Sacra Corona cingitur,  
Choros in hymnis audies  
De Vaticanis aedibus:

Corona Regis aurea  
Super caput Pontificis  
Tiara cultu Numinis,  
Magnus Sacerdos emicat !

Conservet illum maximus  
Deus per annos plurimos,  
In pace vivat, gloria,  
Honore, Dux Ecclesiae!

O Christiani plaudite,  
Nam Rector hic Fidelium  
Totius orbis, ut Pater  
Nos benedicit optimus !

Expressa signo gloriae  
Et sanctitatis, aurea  
Corona summi Praesulis,  
Micans in ejus capite.

Honore, laude Principes  
Hunc prosequuntur, Nobiles,  
In dignitate Proceres,  
Pii Fideles ceteri.

Dum Christus invisible  
Caput, salus Ecclesiae ;  
Praefectus huic visibilis,  
Illius est Vicarius.

De jure gaudet Clavibus  
Coeli, Pater Fidelium,  
In orbe Doctor omnium,  
Electus almo Spiritu.

Ut Rex, Sacerdos, Pontifex,  
Dei minister unctionis,  
Sic Aaron, David, Salomon,  
Sunt consecrati Domino.

**Gloria honoris et opus fortitudinis.**

En Christiani Martyres,  
Jam nunc beati gloria  
Enunciant annalibus,  
Quis orbis olim spiritus!

Quot Martyres, Pontifices  
In Sede Petri candidos,  
Amore Christi praeditos,  
Cruentus ensis laeserat?

Num Christianae fidei,  
Virtutis omnis et Crucis  
Nefandus hostis ethnicus  
Ut ante victor permanet?

Nullo modo! Pontifices  
Sunt elevati prospere,  
Et saepe fiunt arbitri  
Inter Duces et Principes.

Divina providentia  
Eisque Patrimonium  
Petri, Status Ecclesiae,  
Ut liberi sint, contulit.

Tiara simplex antea  
Dualibus inde cingitur  
Probe Coronis, postea  
Tribus, decore maximo;

His nempe Regnum saeculi,  
Et spiritale, Juribus  
Sublime tum potentia,  
Vult explicari Symbolis.

Octavus Apostolica  
In Sede Bonifacius  
Nitet Corona duplici,  
Urbanus Quintus triplici.

Pium Secundum, Tertium,  
Et ceteros Pontifices  
Abhinc Corona triplici  
Vides Tiara splendidos.

In orbe Reges emicant,  
Ovant Corona gloriae,  
Honoris, ante subditos,  
Dei superni gratia.

Ut Principes fideliter  
Cum regia potentia,  
Cohortibus militiae  
Custodiunt imperia.

Dum sceptra regni possident,  
Insigne fortitudinis,  
Suos tuentur incolas,  
Ne fiat his injuria.

Exornat illos purpura,  
Corusca vestis, pallium,  
Amictus auri splendidus,  
Sicut requirit dignitas.

Eis thronus spectabilis,  
Quo jura nationibus,  
Praecepta dicunt subditis  
Favore miti, gratia.

Solent eos tunc Aulici  
Ambire caeremonia,  
Ducis ferunt Insignia  
Ut pompa sit festivior.

Pro more pacem praedicant  
Hi Principes, concordiam  
Cum proximis et exteris,  
Suisque Legis commoda.

Beata vere Natio,  
Fortuna cui mirabilis,  
Ut Rege sancto gaudeat,  
Diu regente Stephano.

Laetata sic Ecclesia  
Romana, longo tempore,  
Dum Spiritu Paraclito  
Regebat ejus Pontifex.

Sed Papa Pius Tertius  
Decem diebus vixerat,  
Postquam Corona cingitur  
Honoris atque gloriae.

# PIUS IV.

(Ann. 1559 !— 1565.)

**Ut audiam vocem laudis.**

In coelo Domini laetificum decus  
Ornati celebrant Angelici chori,  
Et Sancti reliqui cantica concinunt,  
Laudes ante thronum Dei.

Praesens Agnus ibi dignus honoribus,  
Majestas radiat Numinis illius,  
Ter Sanctus Seraphim jugiter intonant  
O Regi dominantium.

Virtus, laus et honos et sapientia,  
Sic orant Superi, tum benedictio  
Sanctae sit Triadi, cuius in omnia  
Regnat gloria saecula !

In coelo radiant sidera, gloriam  
Enarrant Domini, qui Pater optimus,  
Rerum principium, Conditor omnium,  
Felix elysii decus.

In terra pariter singula condita  
Res, quodvis animal, flos, lapis, aut homo,  
Montes aut fluvii, jugera, praedicant  
Aeterni sapientiam.

Solis candida lux et calor utilis,  
Lunae noctivagae cornua lucida,  
Menses atque dies, saecula, publice  
Nobis omnibus indicant.

Stellarum nitido lumine millia  
Splendent, nosque docent, exterior nitor  
Coeli si radians, interior magis  
Majesticatus a Deo.

Descendunt radii Numinis a throno,  
Mundum quando beat Filius en Dei  
Natus de Maria Virgine, Bethlehem  
Visunt Angelici chori.

Excelsique canunt carmine gloriam,  
In terra quoque pax hominibus bonae  
Voluntatis ab his fertur amabilis,  
    Salvatoris honoribus.

Post annos Dominus flumine tingitur  
Baptismi, super hunc Spiritus emitet  
Columbae specie, coelitus audiunt,  
    Quod sit Filius hic Dei !

Joannes, Petrus et Jacob Apostoli,  
Aequa dum facies splenduit illius  
Ut Sol, verba Patris percipiunt: Adest,  
    In quo complacui mihi.

Dum surrexit ovans Christus, ut inclytus  
Victor mortis, eum praedicat Angelus  
In candore suo pulcher, amabilis,  
    Dum saevus pavet inferus.

Ascenso Domino discipuli pie  
Mox altare Dei legitime colunt,  
Eucharistia tunc incipit in bonum  
    Immortale Fidelium.

O fortuna piis mira Fidelibus,  
Praesentes ibi sunt jugiter Angeli,  
Quando Presbyteri thura litant Deo  
In Missae Sacrificio.

Omnes hinc etiam Christicolae solent  
Praesentes Domini laudibus addere  
Cordis vota sui, cantica vel preces,  
Ut mos Ecclesiae sacer.

Praesertim juvenes cernere possumus  
Queis virtutis honos, alta vocatio,  
In servire Dei munere, quod pie  
Templum visere diligent.

Arae cultus enim laetus, amabilis,  
Cum nobis ubi sunt Angelici chori,  
Hymnis qui placidis Eucharistiam  
Adorant venerabilem.

Hinc altare Dei diligit optime  
Joannes Medicis, postea Pontifex  
Quartus Papa Pius, gratus ut audiat  
Vocem laudis ab Angelis.

**Et enarrem universa mirabilia tua.**

Hic felix valuit Papa Pius sacra  
Enarrare dein, quae fidei bono  
Tunc Oecumenici Concilii Patres  
Tridenti celebraverant.

Est mirabile, quod sanctus Episcopis  
Ejus Concilii Spiritus indidit,  
Virtutis documen vel fidei decus  
Si spectemus amabile.

Cunctis voce Dei nempe Fidelibus  
In mentem revocant: quis sit amor Dei  
Erga nos homines, tum sapientia,  
Majestas quoque Numinis.

Quam dignus Dominus noster honoribus  
Hymnis blandisonis, actibus optimis,  
Devotis precibus, laudibus, inclyto  
Et Missae Sacrificio.

Sanctorum meritis cultus amabilis,  
Observanda fides, spes pia, charitas,  
Et Confessio tunc Eucharistiae  
Paschae tempore sumtio.

Humano generi, crede, perutiles  
Sunt eleemosynae, munera pauperi,  
Ac oratio pro Regibus omnibus,  
Et jejunia saepius.

Mox Decreta ferunt Ecclesiae Patres,  
Qui sint in veteri Foedere vel novo  
Libri Canonici traditionibus  
Clari, Numine conditi.

Scripturasque jubent Dominica die  
A praecone legi pro populi bono,  
Lux Evangelii clareat omnibus  
Auditoribus utilis.

Tridenti Synodus porro docet bene,  
Peccatum quid Adae tristis originis,  
Humani generis conditio modo,  
Sanctae gratia Virginis.

Quid Christi Domini gratia providi,  
Libertas hominis, justificatio,  
Condignum meritum, gloria Coelitum,  
Donum perseverantiae.

Diversi Canones de Beneficiis  
Conduntur superis atque minoribus,  
Cleri muneribus compatibilibus,  
Ac examine Parochi.

Natis alta salus omnibus unica  
Fons baptismatis est, qui scelus abluit,  
Character fidei, sicut et Ordinis,  
Indelebilis illius.

Confirmare valet solus Episcopus,  
Signo rite Crucis, Chrismate, Spiritum  
Exorat Domini mille Fidelibus,  
Tentatis animum pium.

Constat sancta fides Eucharistiae,  
Panis sub specie namque realiter  
Praesens ipse Dei Filius, ut cibus,  
Salvatorque Fidelium.

Declaratus ibi tunc animi dolor,  
Et Confessio, seu vera remissio  
Peccati varii; quae satisactio,  
    Jurisdictio sacra.

Ah, postrema dein utilis Unctio  
Infirmis salubris, reliquias enim  
Noxae delet, uti Jacob Apostolus  
    Scripto Christicolas docet.

Plures servitio Numinis Ordines  
Christi lege vigent, Ecclesiae fidem  
Mores atque decus, jus Hierarchiae  
    Qui curent genialiter.

Quod Sponsalia vel jus Matrimonii  
Concernit, Canones, Impedimentaque,  
Lex Evangelii serviat omnibus  
    Recti norma Fidelibus.

Sic vocem Domini laudis inaudit  
Quartus Papa Pius, Concilii sacros  
Confirmat Canones, acta perennia  
    Enarrans in honoribus.

**Domine, dilexi decorem Domus tuae.**

In psalmo cecinit David alacriter:  
Dilexi decus et sancta Domus tuae  
Ornamenta, locum denique gloriae,  
In quo Rex habitas Deus!

Paulo post Salomon aedificat Domum  
Ejusdem sapiens filius inclytam,  
Fundamenta, trabes, tecta vel ostia  
Si spectemus in artibus.

In templo Domini magnificentum decus,  
Auri splendor, opus marmore, purpura,  
Gemmis arca Dei nomine Sanctaque  
Sanctorum Cherubim nitent.

Christo zelus erat pro Domini Domo,  
Ex hac quando boves expulit ac oves  
Flagro funiculi, nam decus illius  
Mercatu violaverant.

In zelo pariter Numinis optime  
Romae Pontifices, omnis Episcopus,  
Curarunt celebres Ecclesiae decus  
In pagis et in urbibus.

Quartus sique Pius Papa, Vicarius  
Salvatoris agit, clarus honoribus,  
Antiquas decorans Ecclesias, item  
Multas aedificans novas.

Summus cultor enim Numinis optimi,  
Aequa fautor erat maximus Artium,  
Romae jam veteri quae nimis ethnico  
Florebant bene tempore.

Hic sancto Carolo celsus avunculus  
Cardinei Titulos, Archi-Episcopi  
Munus contulerat, qui miseris pater  
Templis voverat omnia.

Coelorum Domini munere filiae,  
Artes ingenuae porro scientiae,  
Aeterni decus hinc jugiter augeant,  
Ut natura fideliter.

Pulchris ingenuis Artibus anteit  
Architectus, opus cuius in omnia  
Claret saecula, nam pyramides placent  
Heroum monumentaque.

Romae templa nitent, mille palatia,  
Virtutis, fidei jugiter indices,  
Doctorum varians Artificum labor,  
In pulchrum decus, utile.

Sic templum Mariae, quod Michel Angelus  
Hujus Pontificis tempore fecerat  
E Diocelet' an aedibus et prope  
Thermas, est memorabile.

Caelatura, dein Ars statuaria  
Nobis per lapides, aeris imagines,  
Praeclaro meritos de patria Viros  
Praesentant in honoribus;

Quare non celebret nunc statuaria  
Sanctos, Ecclesiae qui fuerant decor,  
Scriptis mille libris, actibus optimis,  
Doctrina, sapientia !

Naturae Pictor jugiter aemulus  
Pulchras effigies novit amabiles  
Pro nostris oculis delicias, bene  
Designare coloribus.

Romam vade, studens lector! ibi vides  
Picturas varias, Artificis bonum  
Excellentis opus, sive palatia,  
Aulas, Basilicas amas.

In primis chorus hic Musicus eminent;  
Hymnos dulcisonos, nectareum melos  
In laudes Domini, Coelitum quoque  
Hic audire vales satis.

Templi cantica sunt Arte Poëtica  
Concinnata modis, pro Sacrificio  
Missae salvifcae congrua, Vesperis,  
Et multis ceremoniis.

Sic qui svave decus diligit in Domo  
Praecellente Dei, cernit, amabiles  
Artes quinque vigent Ejus honoribus,  
Circa Pontificis thronum.

**Et locum habitationis gloriae tuae.**

Dum claret Dominus de medio rubi,  
Qui quamvis nimium flammeus arserit,  
Non combustus erat, vult ibi noscere  
Moyses, quae nova visio?

Sed dicit Deus huic de medio rubi:  
Huc non appropies, o homo, calceos  
Verum solve tuis de pedibus modo  
Summa cum reverentia;

Nam quo stas, locus hic montis Hœreb Dei,  
Felix terra, mihi sancta, recondita  
Augustae Mariae Virginis inclytae  
Quae mysteria continet.

Septem Roma jugis altaque Civitas  
Nobis terra viget sancta Fidelibus,  
Prisco jam celebris tempore, tum novo  
Post Christum, caput omnium.

Templum Rex Salomon aedificat Deo,  
Consecratur idem, mox habitatio  
Haec arcae veteris foederis Israel  
Est circumdata gloria.

In coelumque manus tum Salomon levat,  
Orans: Ergo putem, quod Deus in loco  
Isto nunc habitet, si neque Regia  
Coeli Te capit optimum?

Ut quondam Solymis jubilus hostiae,  
Romae sic hodie cultus amabilis  
Salvatoris, opus pacificum Dei  
Summis est in honoribus.

Romae jam viguit primitus, antequam  
Christus natus erat, religio diis  
Cum falsis celebris, cui dominatio  
In gentes reliquas fuit.

Heroes habuit magnanimos ea,  
Arces et plateas, multa palatia,  
Thermas, fana, lares, festa Jovi sacra,  
Circos, amphitheatraque.

Nunc autem dominans Metropolis viget  
Regni Catholici salvifica fida,  
Urbs Romana potens, gloria totius  
Orbis per Cathedram Petri.

Praestans ingenuis Artibus eminent,  
Claret mille Viris, alta scientia  
Et doctrina dein experientia  
Quos ornat, vigor indolis.

Musarum studiis hic Philosophia,  
Fontes Historiae, Jus, Medicinaque  
Explanantur, uti lex Theologiae,  
Christi cultus amabilis.

In Romae solio coelica veritas,  
Porro summa Dei lumine claritas,  
Candor justitiae; Pontificum quia  
Majestas sacra, regia.

Omnis Papa suo munere, Sanctitas,  
Insigni Titulo gaudet, honoribus  
Primatus superis Ecclesiae Dei,  
Et claro diademate.

In primis Celebrans is Sacrificium  
In templo Domini cum ceremoniis,  
Circumdantibus hunc semper Episcopis,  
Sacerdotibus undique ;

Quando festa dies, pompa celebrior,  
Et sanctam reverens Eucharistiam  
Consecrat sociis omnibus Angelis,  
Summis claret honoribus.

Hinc sublime decus diligit illius  
Quivis eximum, nempe Vicarii  
Salvatoris, item clavigeri Petri  
Successoris in ordine.

Quis non diligenter, quaeso, Domum Dei,  
In qua pax et amor, gloria Numinis,  
Cujus laude canunt Angelici choi  
Ter Sanctus, nitidissimi ?

Felix Roma, vige, nunc habitatio  
Summi Pontificis, praesidium, decus  
Orbis Catholici, gloria Coelitum,  
Vitae stella Fidelibus !

# S. PIUS V.

(Ann. 1566-1572.)

## Dilectus Deo et hominibus.

Pius hic a juventute,  
Ut oportet, pro salute  
    Animae sollicitus;  
Bona coeli aspiravit,  
Jocum aevi non amavit,  
    Etsi forte licitus.

Ei Jesus nam exemplum,  
Juvenilis qui in templum  
    Semper ivit Domini:  
Hinc acceptus fuit Ille,  
Aestimabant Eum mille  
    Deo charum, homini.

Mirabantur sane isti  
Audientes verba Christi,  
    Cujus vultus emicat:

Dum amore veritatis,  
In honorem Deitatis  
Sapienter praedicat.

Regem laudat sempiternum  
Deum amat is aeternum  
Adorari unice :  
Hinc exemplo anteire  
Bonum duxit, et adire  
Sanctam aedem publice.

Pietatis in decore,  
Juventutis suae flore,  
Deitate clarior :  
Nitet ore speciosus,  
Vitae actu glriosus,  
Omni die charior.

Michaël hunc Ghislieri  
Imitatus, Dei veri  
Cultu, hymni publici :  
Quatuordecim vix annorum,  
Coetum adit monachorum  
Ordinis Dominici ;

Nam cupivit praedicare,  
Populoque nunciare  
Sanctum Evangelium :  
Sicut Jesus olim egit,  
Duodenos qui elegit  
Contra mundi genium.

Legit ille in Scriptura :  
O quam pulchra corde pura  
Casta generatio ;  
Sua claret pietate,  
Animique bonitate ;  
Utilis oratio !

Inde Coetus ordinati  
Alto semper dedicati  
Est secutus Regulam :  
Ubi vitam Deo charam  
Transigebat prope aram,  
Angelorum aemulam.

Fert iniqua patienter,  
Malum odit apienter,  
Placuit aus teritas

Praedicavit plenus zeli  
Dominum, qui via coeli,  
Vita, sancta veritas.

Fovit artes liberales,  
Musas aequa geniales,  
Doctor Philosophiae:  
Eminebat in doctrina  
Naturali, ut divina  
Lege Theologiae.

Paulo Quarto Papae charus  
Probitate vitae clarus,  
Fit dein Episcopus:  
Inquisitor Generalis,  
Et Romanus Cardinalis.  
Dei promptus ad opus.

Sponsae Christi libertatem,  
Jus defendens, dignitatem,  
Pontifex eligitur:  
Deo gratus vitae actis,  
In egenos benefactis,  
Intime diligitur.

Cujus memoria in benedictione est.

En Tiaram Pius gerit!  
In aeterna justus erit  
Papa hic memoria;  
Nomen ejus radiabit  
Donec Viros celebrabit  
Inclytos historia.

Catechismus is Romanum  
Typis edit Christianum,  
Qui nos fide uniat:  
Rituale ordinatum,  
Et Missale emendatum,  
Quod in templo serviat.

Ut oremus Angelorum  
More, hymno Beatorum,  
Nobis Breviarium:  
In quo preces Matutinae,  
Laudes, Horae, Vespertinae,  
Et in usum varium.

Fidei qui propagandae  
Studiosus, observandae  
Legis Evangelicae:

Indefessus in agendis,  
Juribusque defendendis  
Sedis Apostolicae.

Infidelem is Reginam,  
Quia legem haec divinam  
Laesit, excommunicat :  
Vult errores extirpari,  
Deum unum adorari,  
Pacem orbi praedicat.

Et Selimum, qui Turcarum  
Dux, tyrannus variarum  
Civitatum fuerat :  
Dei magna ope vicit ;  
Gratus illi benedicit,  
Qui feros domuerat.

Comparata nam ingenti  
Classe, fisi summo Enti,  
Ut refert historia :  
Papa, Reges Christiani  
Pugnant hoste cum immanni ;  
Crucis en victoria !

Hic triumphus tunc evenit,  
Pius coetus dum convenit  
Precibus Rosarii :  
Dum Sodales invocarunt  
Dei opem, exorarunt  
Casum adversarii.

Confugerunt Christiani  
Spe profecto non inani  
Ad Mariam Virginem :  
Turcae quando invaserunt  
Europam et laeserunt  
Ibi rectum ordinem.

Haec adjuvit Christianos  
Contra centum mille vanos  
Hostes Crucis Domini :  
Et pusillus grex effugit  
Lupum, agnos qui exsugit ;  
Grates Jesu nomini !

Quia mire istud gestum,  
Institutum dein Festum  
Virginis Rosarii ;

Nam Maria duce ita  
Contra Turcas impedita  
Spolia Sacrarii.

Ut Rosarum preces, Ave  
Angeli de ore svave  
Coluit Dominicus :  
Sic alumnus ejus coetus ,  
Pius Quintus orat laetus  
Ave Apostolicus.

Salvatori o confide  
Christiane ! viva fide ,  
Cultu sanctae Mariae :  
Haec enim te adjuvabit  
Ut antiquos, prosperabit,  
Quia sortes variae.

Ipsa fulget stella maris ,  
Liberat nos ab amaris  
Saeculi periculis :  
Favet omni haec benigna ,  
Et ostendit viae signa  
Elabendi scopulis.

**Similem illum fecit in gloria Sanctorum.**

Deus ipse revelavit,  
Bona justis quae paravit,  
In Sanctorum gloria:  
Qui adorant Majestatem,  
Jubar Agni, potestatem,  
Crucis in memoria.

Coram throno Deitatis,  
Loco vere sanctitatis,  
Angelorum millia:  
Sonant hymni Aulicorum,  
Laudes, Amen, Beatorum  
Cantica humilia.

Hi fruuntur Christo Duce,  
Inter omnes magis luce  
Claret Virgo Maria:  
Veste Solis quae amicta,  
Virginumque benedicta,  
Laeta quarum aria.

Splendet aula Beatorum,  
Pulchritudo radiorum  
E Superni solio:

Status horum immortalis  
Non mutatur, dum aequalis  
Sors humana folio.

Coeli Regis hi ministri,  
Agni Dei, Jesu Christi,  
Angelis Dux Michael:  
Stolis albis sunt amicti,  
In aeternum benedicti,  
Tribus aequa Israel.

In antiquo testamento  
Jam virtutis documento  
Patriarchae emicant:  
Adam, Enoch, Noë clari,  
Abram, Isaac, Jacob chari,  
Dei cultum praedicant.

Nitet Moyses hic perfectus  
Legislator, vir dilectus  
Deo et hominibus:  
Quae sunt Legis, ordinavit,  
Deos falsos amandavit  
A Judaeis finibus.

Laus Davidis, et praeconis  
Sapientis Salomonis,  
Nobis in memoria:  
Sic Elias, Ezechias,  
Daniel et Nehemias,  
Fulgent in historia.

Magis adhuc Christo nato,  
Dei cultu explicato,  
Sancta fides claret:  
Dum Salvator in hoc mundo,  
Liberator a profundo  
Coelicus apparuit.

Primi namque Christiani  
Cura servant non inani  
Verba Apostolica:  
Pleni omnes charitate,  
Sunt exemplo pietate,  
Vita Evangelica.

Veritatis hi Amici!  
Sed exurgunt inimici  
Christianae fidei:

Persequuntur omnem bonum,  
Mox augustum aequa thronum  
Everterunt athei.

Est secutus quidem planetus,  
Chorus subit eja sanctus  
Pro Deo martyrium:  
Sed adivit coelos idem,  
Dum tyranni nihil pridem  
Sunt, abusu virium.

Aliique Confessores,  
Papae, Reges, bonos mores  
Diligunt, Episcopi:  
Sacerdotes et Abbates  
Probe vivunt, et Magnates,  
Succurrentes inopi.

Inter Sanctos hinc relati,  
Deum laudant modo grati,  
Cum bonis aequalibus:  
Simili cum vita praestat  
Pius Papa Quintus, extat  
In sacris annalibus.

Legenda  
**SANCTI PII QUINTI**  
Pontificis Maximi  
Ordinis Praedicatorum Alumni,  
veniente  
Tertio ejus Saeculari Festo  
Anno 1872.

Ex Breviario Romano Die 5. Maji desumpta.

**Pius** in oppido Insubriae, quod Boschum vocant, natus, sed e Bononia oriundus ex nobili Ghisleriorum familia, cum quatuordecim esset annorum, Ordinem Praedicatorum ingressus est.

Erat in eo admirabilis patientia,  
profunda humilitas,  
summa vitae austeritas,  
continuum orationis studium,  
et regularis observantiae  
ac divini honoris ardentissimus zelus.

Philosophiae vero ac Theologiae incumbens, adeo in iis excelluit, ut illas docendi munus magna cum laude per multos annos exercuerit. Sacras conciones pluribus in locis cum ingenti auditorum fructu habuit. Inquisitoris officium inviolabili animi fortitudine diu sustinuit, multasque civitates, non sine vitae discriminé, ab haeresi tunc grassante immunes servavit.

A Paulo Quarto, cui ob eximias virtutes charissimus erat, ad Nepesinum et Sutrinum Episcopatum promotus, et post biennium inter Romanae Ecclesiae Presbyteros Cardinales adscriptus fuit. Tum ad Ecclesiam Montis Regalis in Subalpinis a Pio Quarto translatus, cum plures in eamabusus irrepsisse cognovisset, totam Dioecesim lustravit, rebusque compositis Roman reversus, gravissimis expediendis negotiis applicatus, quod justum erat, Apostolica libertate et constantia decernebat.

Mortuo autem Pio, praeter omnium expectationem electus Pontifex, nihil in vitae ratione, excepto exteriori habitu immutavit.

Fuit in eo Religionis propagandae perpetuum studium,  
in Ecclesiastica disciplina restituenda  
indefessus labor,  
in extirpandis erroribus  
assidua vigilantia,  
in sublevandis egentium necessitatibus  
indeficiens beneficentia,  
in Sedis Apostolicae juribus vindicandis  
robur invictum.

Selimum Turcarum tyrannum, multis elatum victoriis, ingenti comparata classe, ad Echinadas insulas non tam armis, quam fusis ad Deum precibus devicit. Quam victoriam ea ipsa hora, qua obtenta fuit, Deo revelante, cognovit, suisque familiaribus indicavit.

Dum vero novam in ipsos Turcas expeditionem moliretur, in gravem morbum incidit, et acerbissimis doloribus patientissime toleratis

ad extrema deveniens,  
cum Sacraenta de more suscepisset,  
animam Deo placidissime reddidit,  
anno millesimo quingentesimo  
septuagesimo secundo.

aetatis sua sexagesimo octavo,  
cum sedisset annos sex, menses tres,  
dies viginti quatuor. Corpus ejus in  
Basilica, sanctae Mariae ad Praesepe  
summa Fidelium veneratione colitur, multis  
a Deo ejus intercessione patratis miraculis.  
Quibus rite probatis, a Clemente  
Undecimo Pontifice Maximo Sanctorum  
numero adscriptus est.

# PIUS VI.

(Ann. 1775 — 1799.)

**Invocavit Dominum Omnipotentem.**

**A**t teneris annis Pius invocat Omnipotentem,  
Hinc illum nunquam gratia deseruit.  
Ortus Cesena nomen tulit ipse Joannes  
Angelus, a Braschi flos Comitum juvenis.  
Annos viginti natus, Musis et amicus,  
Evasit Doctor Juris honore nitens.  
Mox in amore Dei, virtutis cultor amoenae  
Incubbit studiis ille Theologiae.  
Aulicus effectus sensim Papae Benedicti,  
Thesauri custos Pontificis camera.  
Postea Cardinei Titulo juste decoratus  
Officii meritis, utilitate sua.  
Ingenuus, pulcher vultu, sincerus, amatus,  
Eloquio praestans, atque scientificus.

Non igitur mirum, si dotibus his celebratus  
Eligitur sanctae mox Caput Ecclesiae.  
Sacratus Princeps curat patrimonia Petri,  
Leges, atque bonum, justitiae studio.  
Ut simul ornatum Romae clarae, decus Urbis  
Augeat, artifices eximios adhibet.  
Museoque Pio-Clementino celebrato  
Obtinuit celsum nomen in orbe nitens.  
Hujus Pontificis praeclaros quis valet actus  
Collaudare satis versibus aut modulis?  
Historia clarent ejus merito benefacta,  
Ecclesiae sanctae Catholicae studium.

Verum quid sancti non aversatur iniquus  
Ah, Genius mundi, deliciis inhians?  
Libertatis amans propriae, fidei nimis osor  
Catholicis nobis vincula saeva parat.  
Credit, quod sit ei soli sapientia, virtus,  
Cultores fidei quod nihil efficiant.  
Ecclesiae leges non aestimat ille superbus,  
Lux vere mundi non fuit orta, putat.  
Blasphemare solet Dominum, qui conditor aevi  
Omnia produxit coelitus e nihilo.  
Quid Christi cultor contra pravos agit? orat,  
Invocat Excelsum, qui potis auxilio.

Audi, saeve Geni ! quae pro nobis tibi dicit  
Ecclesiae custos, omnipotens Dominus :  
Tu mundi sapiens tibi forte videris, honestus  
Et nescis, hominis quae sit origo, Dei ?  
Quis posuit terrae bene fundamenta ? profunda  
Quis maris intravit, quatenus ambulet hic ?  
Per quam porro viam lux spargitur ? utilis aestus  
Vis super hanc terram quomodo dividitur ?  
Pulvis item nostro quando fundatus in orbe ?  
Gramineo quare cespite manat odor ?  
Sol fugit, et removent subeuntia nubila coelum,  
Et gravis effusis decidit imber aquis.

Temporis alte Geni ! vehementi quis dedit imbri  
Cursum ? quis tonitru nube sonare facit ?  
Cur pluit inque locis illis, habitans ubi nullus ?  
Quis genuit stillas roris , item glaciem ?  
Ordinis aerii nosti forsitan rationem ?  
Fulgura num mittes, et cito diffugient ?  
Num poteris stellas conjungere tu radiantes,  
Navita quas Hyades Grajus ab imbre vocat ?  
Arcturi gyrum quis dissipat, et rutilantem  
Luciferum quisnam surgere mane jubet ?  
An reges terrae facient dormire superni  
Concentum coeli jugiter eximium ?

Quis volucres nutrit, quando sunt esurientes  
Corvus item pulli, nec cibus ullus eis?  
Num virtute tua velox plumescit, et alas  
Expandit, curvis unguibus accipiter?  
Tu praebebis equo robur, circumdabis ejus  
Hinnitum collo, qui phaleris docilis?  
En aquilam fugiunt penna trepidante columbae,  
Solis amat radios alituum domina.  
Omnia disposuit Rector coeli sapienter,  
In bonitate sua providus, omnipotens.  
Hic regit immensi fulgentia sidera coeli,  
Dum mortalis homo pulvis et umbra viat.

Attamen inconstans homo judicat Omnipotentem  
Filius en Patri denegat obsequium.  
Ignoratque Dei majestatem, decus Altii,  
Saepius et princeps, qui sedet in solio.  
Innumeri sunt in regni ditione Potentes,  
Non credunt, quod eis altior Omnipotens.  
Naturae scrutans vivit nimis insipienter,  
Quando creaturas diligit ob speciem;  
Hunc autem non vult agnoscere, qui speciei  
Auctor, Coelituum gloria summa, decus.  
Crede, Geni mundi! Domino, qui cuncta creavit,  
Conservat, salvat, dirigit Omnipotens.

In oppugnando hostes circumstantes  
undique.

Persequitur justum jam Cain immitis Abelem  
In quo spes generis visa perire pii.  
Sic Esau fratrem Jacobum jugiter odit,  
Hispidus et rufus persecutur placidum.  
Multis inquisit Joseph Aegyptius olim  
Natura praestans, ingenio docili.  
Vituperant Jobum venientes ejus amici,  
Justitia vitae nemo cui similis.  
Electum populum Pharao minime toleravit,  
Nec sivit Moysen sacrificare Deo.  
Veridicus Samuel habuit multos inimicos,  
Imperium renovans jure Propheta Dei.  
Saul vatem David oculis non spectat amicis,  
Qui Jonathae junctus cordis amicitia.  
It Golias contra citharae fundaeque peritum,  
Exiguoque gigas ictus ab hoste cadit.  
Elias semet defendere debuit igne,  
Pascitur a corvis Legis amans Domini.  
Jeremias propter sermones carcere vinctus,  
Quos habuit coram principibus populi.

Insignes pueri Sidrach, Misach, Abdenagoque  
Orarant, nec eis ignis ibi nocuit.  
In foveam Daniel projectus ad ora leonum,  
Sed mirabiliter prodit in columis.  
Ingratos Jonas fugit cives Ninivitas,  
Jejunosque Deo conciliavit eos.  
Tunc Eleazarus est, qui manducare recusat  
Porcinas carnes, historia celebris.  
Sic Machabaeorum fortissima proelia fratrum  
Heroum clarent; Antiochus periit.  
Ultimus et Vatum, sanctus Baptista Joannes,  
Praecursor Domini martyrium subiit.

Vix natus Jesus, Herodes insidiatur  
In Bethlem cunctis innocuis pueris.  
Passus erat mundi Salvator, Paschatis Agnus,  
Cum socius mensae falsus amicus ei;  
Furca thronus, diadema vepres, absynthia nectar,  
Sceptrum canna, crux purpura, latro comes.  
Petrus Apostolicus Princeps Paulusque necantur,  
Qui benefactores, lux, decus orbis erant.  
Martyres effecti plerique Nerone tyranno,  
Hic periit; Sanctis gloria, laus et honor.  
Ecclesiae Christi per saecula sunt inimici,  
Unde ferox odium, causa fides, pietas?

O pietas, Christique fides, num causa malorum  
Vos estis? Minime, sed levitas hominum.  
Vos colimus semper veluti coelestia dona,  
Quae Christus nobis attulit e superis.  
In mala converti sanctissima, vituperari  
Possunt, exemplo flos et aranea sit.  
Muscis insidians croceo de flore venenum  
Sugit aranea; apis mel studiosa, thymos.  
Fabula narratur: Supra rivum lupus, agnus  
Infra stat mitis, dicitur atque reus.  
Hostes Ecclesiae pariter nolunt tolerare  
Mites, insignes a pietate viros.

Talis erat vere Sextus Pius ingeniosus,  
Cui summus coeli religionis honor.  
Artibus ingenuis addictus semper amoenis,  
Musarumque choris, fautor amicus eis.  
Culturae civilis amans, humanus, in aulis  
Aestimium meruit, corda sui populi.  
Cum tamen is fuerit praesentans Catholicismi,  
Et sanctae custos depositi fidei;  
Undique circumstant hostes illum, pietatis  
Ex odio, sacrae Sedis Apostolicae.  
Insurgunt contra petram, quae firmiter omnem  
Insultum tanto tempore sustinuit.

Historiae serie Josephi gesta Secundi  
Scripta legis valde noxia Catholicis.  
Dum civilis ei regni suprema potestas,  
Hostilis fuerat juribus Ecclesiae.  
Imperii sceptrum, gladium super omnia servans,  
Ad patriae leges, vota ministerii ;  
Primatum Romae minus aestimat, et reverendas  
Pontificis claves, salvificum calicem.  
Ergo reformatum nunc Austriacas ditiones  
Josephum viset Papa senex placidus.  
Advenit summo celebratus honore Viennae,  
Hic tamen effecit nil Vir Apostolicus.

Acta dein Synodi celebratae Pistoriensis  
Noxia Romanae legibus Ecclesiae.  
Hetruriae coetus Praelatorum Leopoldi  
Toscani votis annuit Archiducis.  
Congressum pariter vidit Germania Cleri,  
Emseni Papae jus ubi diminuunt.  
Talibus adjunctis quid ei restat faciendum,  
Qui regit immensum Pastor ovile Dei ?  
In causa justa Pius invocat Omnipotentem,  
Atque malum vicit praesidio Domini ;  
Spiritus en sanctus nam cunctis ecce diebus  
Praeses item custos Ecclesiae vigilat.

**Ante tempus finis vitae sua, et saeculi.**

Ter sex post Christum labuntur saecula, finem  
    Num simul accepit protinus omne malum?  
Nequaquam; potius revolutio Gallica saeva  
    Incoepit, rigidi Martis opus nocuum.  
Namque Parisiadae confiscarunt Bona primum  
    Ecclesiae sanctae, lege sua populi;  
Mille dein Monachos privarunt religiosis  
    Aedibus et numis, ac animi requie.  
Congressus votis ut Praelati, Parochique  
    Constituantur, ii praecipiunt pariter.  
Legibus his etiam rex assentire coactus,  
    Urbis item regni pacis amans stabilis.  
Papa Pius tamen his minime consenserat actis  
    Catholicae custos providus Ecclesiae;  
Hinc combusta fuit praesens illius imago  
    A libertatis plebe Parisiaca.  
Dum Jacobinis odiosi Religiosi,  
    Hi passi varias insidias ab eis.  
Virgineus coetus sacratus per tria Vota  
    Debuerat multis e domibus fugere.

Friancigenae princeps populosa Lutetia gentis  
Exerit immensum clara sub astra caput.  
Conveniunt in ea rationis lumine ducti,  
Ac odio pleni Catholicae fidei.  
Postquam Conventus votis Respublica Gallis  
Proclamata fuit, desiit ordo simul.  
De patria Christi propulsant religionem,  
Festa Calendarum, porro diem Domini.  
Justitiae vario cursu, vi legis iniquae  
Mille sacerdotes martyrium subeunt.  
Post aram sequitur thronus, hinc Ludovicus eandem  
Expertus sortem carceris atque necis.

Gallia per bellum dum numis esset egena,  
Constituit praedas Italiae facere.  
Ansa datur, quoniam se junxit Papa catervis  
Austriacis contra Napoleonis opes.  
Postquam nimirum Respublica consociata  
Cisalpina fuit, finibus Italiae;  
Invadit patrimonia Petri Gallicus hostis,  
Et Lauretanae Sacra Domus spoliat.  
Mittitur hinc Mariae solemnis imago trophyaeum  
Parisios, charis cum reliquis spoliis.  
Papa suas cessit ditiones, Avenionem,  
Romanam, Ferri, pacis amore dein.

Gallorum turmae veniunt, Respublica Romae  
Proclamatur ibi concilio populi.  
Captivum faciunt, octoginta licet esset  
Annorum, summo munere conspicuum.  
E Roma ducunt, per tres mensesque Sienae  
In claustro servant moribus angelicum.  
Tum caput Ecclesiae Florentia vidit, honore  
Prosequitur coeli clavibus eximum.  
Hostes illius minime dum cernere gaudent  
Aestimum populi, quo Pius hic fruatur;  
Iude Valentinam caute perductus in arcem,  
In qua post annum mortuus exilio.

Augusti mensis fuerat vigesima nona,  
Baptistaeque dies inclyta martyrio.  
Papa Pius Sextus dictus fuit ante Joannes  
Angelus a Braschi, munere praeco Dei.  
Eximum quodsi spectemus nomen et omen,  
Illum delectum cernimus a Superis;  
Nuntius ut fiat Domini, vitae ratione  
Sublimi, vates egregius, patiens.  
In finem vitae constans radiat, quia laudem  
Non bene qui coepit, sed bene finit, habet.  
Anni praetereunt, Dominus sed permanet unus,  
A quo percepit munera Coelituum.

Vaticinatus erat Malachias, quod Pius iste  
Exilio moriens ut Vir Apostolicus.  
Et vere nituit zelo, pietate serena,  
In Cathedra Petri Pontificum Senior;  
Sicut Gregorius laudatus Septimus, aequa  
Dilexit verum, justitiamque, bonum.  
Dum morti vicinus, ait: Meus est dolor ingens  
Corporis, at multo saevior hic animi;  
Cardineus siquidem Coetus dispersus in orbe,  
Praelati moerent, Ecclesiaeque Duces.  
Roma, meus populus charissimus Urbis, acerba  
Nunc tolerat belli damna, vel exitium.

Anne fuit mundus, ter sex dum saecula Christi  
Finiit, ex odio prosperior fidei?  
Martyrium multi cives subiere fideles,  
Nec fortunati sorte fuere Duces.  
Per quod quis peccat, per idem punitur et idem,  
Qui laesit justos, ipse dein periit.  
Civilis cultura nihil sine religione,  
Absque fide sancta vapulat imperium.  
Regna dein surgunt felicia, lux ubi Christi,  
Cultus divinus claruit, et pietas.  
Pace vigente diu solers industria floret,  
Artes ingenuae proficiunt, studia.

Testimonium praebuit in conspectu Domini,  
et Christi.

Nomine baptismi Braschi Comes iste Joannes,  
Papa Pius Sextus postea conspicuus.  
Praecursor Christi, vates, Baptista Joannes  
Conspectu Domini testis amicus ait:  
Filius ecce Dei, paschalis coelicus Agnus,  
Peccatum tollit, mundus adoret eum!  
Dum baptizatur Jesus, sanctusque columbae  
In specie super hunc Spiritus enituit;  
Vox audita Patris: Meus hic est Filius, in quo  
Complacui mihi, nunc audiat omnis eum!  
Transque figuratus Salvator, teste Joanne,  
Qui sublimis erat scriptor Evangelii.  
Sicut sol facies resplenduit ejus, et alba  
Sicut nix vestis facta fuit Domini.  
Mira videre licet, clarent Moyses et Elias,  
Divino Christi colloquio fruiti.  
Esse bonum, dicunt, hic esse, decore beati  
Lumine gaudentes discipuli Domini.  
Vox de nube venit: Meus est charissimus, audi,  
Filius hic, in eo nam mihi complacui.

Praeclarus testis verae Christi Deitatis  
In primis Petrus ductor Apostolicus.  
Nam cum discipulos Jesus interrogat: Illum  
Quem dicunt homines? Illico Petrus ait:  
Tu Dominus noster, coelorum gloria, vivi  
Filius ipse Dei, Christus, amata salus!  
Christus ad haec coeli claves solemniter illi  
Praebuit, ornatum Principis Ecclesiae.  
Virtutem Jesu profitetur Epistola porro,  
Quam scripsit Petrus Christicolis aliis;  
Narrat eis etenim, majestas, gloria, qualis  
Lux in conspectu claruerit Domini.

Vis, ut adhuc plures referam testes Deitatis,  
Virtutis Christi, salvificae fidei.  
Coetus Apostolicus totus celebravit eundem,  
Qui nunc ad dextram Patris honore sedet.  
Tum sancti Patres laudarunt Omnipotentem,  
Qui rerum sapiens Conditor, ac hominum.  
Martyrium subeunt pro religione sacrata  
Innumeri, virtus omnibus unde fuit?  
Ut praedixerunt vates, miracula fiunt  
In decus Ecclesiae Catholicae varia.  
Sanctorum cultu Confessores celebrati,  
Virgineusque chorus cantica laeta canit.

In cuius, quaero, laudes haec omnia cedunt,  
Divinus cultus, gaudia, festa dies?  
In Domini nostri Jesu Christi speciale  
Laudem, nam summo dignus honore Deus.  
Ante pias urbes, pagos, per strata viarum,  
Crux vel imago Dei, Virginis aut statua.  
Ecclesiaeque locis in cunctis aedificatae  
A populo, Christi servitio fidei.  
Solemnem cultum Domini festique diebus  
Rite suis horis Presbyteri celebrant.  
Organa laeta sonant, populus bene concinit hymnos  
In laudem Christi, Virginis et Mariae.

Praecipue Romae cultus solemnis habetur,  
Nam locus hic princeps Catholicae fidei.  
Summi Pontifices divina luce renident,  
Fungentes coeli munere salvifico.  
In Cathedra Petro succedunt, qui fuit alte  
Confessus Christum primus in Ecclesia.  
Coetus Apostolicus per totum claruit orbem,  
Jam successor huic omnis Episcopus est;  
Dextra pedum gerit, ex humeris nova purpura pendens  
Defluit, et lato syrmate verrit humum;  
Annulus in digitos fideique inducitur obses,  
Cingit honoratas infula sacra comas.

Haec ideo celebro, quia testificatio verae  
Sunt nostrae fidei, qua Dominum colimus.  
Et dum Roma caput mundi, decus Ecclesiaeque,  
Non mirum, quodsi cultus ibi radians.  
Artes ingenuae celsis adhibentur in Urbis  
Aedibus et villis, omnibus ecclesiis.  
Architecturam cernis, Romae decus amplae,  
Sive demos spectas, atria, basilicas.  
Sculpturae varias formas in marmore duro  
Observare vales, aere, dein ebore.  
Effigies, quas pingendi clarissimus arte  
Perfecit, Romae conspicuae pariter.

Musica blanda fori, cygnea mele, sacer hymnus  
In templis, laetos efficiunt animos.  
Docta Poësis ibi placet, ut sapientia, virtus,  
Musarum studium, nobilis artis opus.  
Museumque Pio-Clementinum celebratur,  
Praecellens hujus Pontificis meritis.  
Sic in conspectu Domini, Christi Pius omni  
Tempore versatus continuis precibus;  
Vel patiens, dum persequitur genius malus aevi  
Custodem sanctae Catholicae fidei;  
Vel studiis operam navans, virtutis amicus,  
Fautor item pulchris artibus ingenuis.

# PIUS VIII.

(Ann. 1800--1823.)

**Altaria tua destruxerunt.**

Dum Cardinalis nomine Barnabas  
Chiaramonti, Praesul ab Imola,  
Petri thronum concendit altum,  
Papa Pius voluit vocari.

Velut secunda Paulus Apostolus  
Timotheo jam scripsit Epistola:  
Juste, pie desiderantes  
Vivere, quod patientur omnes;

Primo secutum Pontifici Pio,  
Qui gloriose martyrium dein  
Subivit insons ex amore  
Salvificae fidei Superni.

Pius secundus, qui Salomon sui  
Aevivocatus, dives honoribus,  
Legatus aulae, tum Poeta,  
Historicus celeber nitescit.

Sororis ejus postea filio,  
Collegii tunc Cardinei viro  
Clarissimo Romae coronam,  
Tergeminum diadema tradunt.

Solemne Quartus Concilium Pius  
Coepsum Tridenti finiit optime,  
Dilexit ut David decorem  
Ecce domus Domini sacratae.

In orbe Quintus mox Pius inclytus  
Evasit, omnes quando Rosarii  
Cultor Mariae vicit hostes  
Ottomanos, Crucis in triumpho.

Conantur hostes innumeri Pio  
Regnante Sexto, Catholicae nimis  
Ecclesiae sanctae nocere,  
Sed nihil efficiunt maligni.

Succedit illi Septimus en Pius,  
Zelatur orans alter ut Elias,  
Quum dereliquerunt Supernum,  
Ut Domini domus enitescat.

Vates Elias ingemuit prius,  
Israelitae quando nefarii  
Altare destruxere templi,  
In pietate sua profecto :

Zelo repletus pro Domino Deo,  
Multis diebus, noctibus ambulo  
Propter malignos usque montem  
Horeb, ab hostibus exul actus !

Oravit aequa Septimus hic Pius  
Amore flagrans in Dominum Deum,  
Ecclesiae custos, videndo  
Catholicae fidei tot hostes ;

Ut Christianis restituat Deus  
Desideratum pacis amabilis  
Bonum, quoad vitam, decorem  
Quo citius domuum sacrarum.

In Gallia nam cum revolutio  
Civilis esset Parisiis, item  
Provinciae chara quiete  
Perfruitae minime fuissent;

Templo nocebant saepius impiis  
Conatibus, vel casibus asperis,  
Quod dissolutum debuerunt  
Catholici renovare posthac.

Cum nempe Christi sit Sacrificium  
Missae supremum salvificum bonum,  
Quod nos beatos reddit omnes,  
Christicolae venerantur illud.

Pergrata nobis Eucharistia,  
Nam mille praestans est animae cibus  
Fidelibus, pignus salutis,  
Panis amabilis Angelorum.

Cum Christus ergo Filius en Dei  
In aede sacra sit venerabili,  
Nos hunc adoramus fideles,  
Coelituum decus aeviternum.

**Prophetas tuos occiderunt gladio.**

Aeterna Jesus est sapientia  
Patris, suavis gloria Coelitum,  
Mundi Redemtor, quem Prophetae  
Ingenui bene nuntiarunt.

Isti videntes et populi Duces  
Dicti fuerunt spiritualiter,  
Postquam videbant, quod per aeva  
Mille viros aliquos latebat,

Vidit futurum coelitus Abraham,  
Ut Christus inquit, Dominicum diem,  
Gavisus exultavit ille  
Cum reliquis Patribus beate.

Moyses Prophetam, qui similis sibi,  
Promisit altum fratribus Israël,  
Virtute Messiam, Duce mque  
Prodigiis Deitate clarum.

Rex David orans carmina concinit,  
Propheta summi Numinis inclytus,  
Ut pastor et fundae peritus,  
Jessiades cythara decorus.

Surrexit ignis tunc facula quasi  
Ardens Elias, spiritus illius  
In Elisaeum venit aequa  
Ejus amicitia fruentem.

Sic est Isaiae perspicuum nitens  
Volumen, in quo panditur Israēl  
Et gentium sors, ut putetur  
Illud Evangelium Joannis.

Prophetat aequa Jeremias, Dei  
Jussu futurum Jerusalem malum,  
Nectit quadruplex alphabetum  
Versibus en variis in hymno.

Sunt visiones Ezechiel nimis  
Altae, supremi Numinis et throni  
Mysteriis, Christique plenae,  
Fata sui populi notantes.

Idola Belis cum Daniel fugit,  
Projectus insonis in foveam fuit  
Ad ora damnatus leonum,  
Prodiit incolumis sed inde.

Sic praefigurat naufragio suo  
Jonas sepulchrum, quod colimus pie  
Christi, Redemptoris triumphum,  
Gloria cuius ibi coruscans.

Et pastor Amos rusticus explicat  
Delicta Judae magna, famem, sitim  
Verbi Dei tunc audiendi,  
Dum minime fuerint Prophetae.

Aggaeus autem magnificum Dei  
Solemne templum Jerusalem videt,  
Desideratum porro Christum  
Gentibus et populo venire.

Propheta scripto Zacharias notat,  
Regem sedentem quomodo viderat,  
Qui pauper et Salvator, usus  
Inter Hosanna vians asello.

Vates serene viderat Habacuc  
Christi triumphos, in Cruce qui fuit,  
Hinc mysticus, gaudebo, dicit,  
In Domino radiante Jesu.

Joel celebrat lumine Spiritum  
Sanctum micantem, qui super inclyto  
Coenaculo Christi Sionis  
Discipulos docuit superna.

Per Malachiam mira vocatio  
Jam gentis omnis, Sacrificatio  
Ubique per mundum sequenda,  
Hostia coelica nuntiatur.

Postquam secutus Foederis ultimus  
Propheta, celso consilio Dei,  
Baptista nimirum Joannes,  
Hic quoque martyrium subivit.

Herodiadis, cernite, filiae  
Caput Beati traditur impiae.  
Convivio dum considebant ;  
Sic gladio perit hic Propheta !

Et quaerunt animam meam, ut auferant  
eam.

Dum sanctitatis flos, sapientia,  
Virtus in orbem venit amabilis,  
Mundi Redemptor, Dux salutis,  
Et Medicus, Pater, Advocatus;

Huic infideles non minus, ut prius  
Cunctis Prophetis insidias struunt,  
Sed vicit hostes hic averni,  
Cui super omnia jus, potestas.

Curavit omnes corpore lanquidos,  
Malos fugavit Numine spiritus,  
Coecisque visum, sanitatem  
Restituit variis egenis.

Salvator actis ut populo bene  
Fecit, Magister Discipulos quoque,  
Apostolos, et Phariseos  
Jussa Dei Patris edocebat.

Hostes sed ejus cernere non amant  
Lucem supernam, justitiam Dei,  
Miranda per Christum patrata,  
Solis Evangelii nitorem.

Sunt sicut aeger mente, phreneticus,  
Contra peritum qui medicum suum  
Insurgit, illum saepe laedens,  
Maxima cui benefacta debet.

Vitam rebelles illius auferunt,  
Qui Rex eorum, doctor amabilis,  
Salvator aevi, Nazarenus,  
Filius atque Dei praealti.

Sicut Magister discipuli dein  
Sunt multa passi per tria saecula,  
Dum publice nondum valebant  
Sensa fidelia confiteri.

De Christianis en Stephanus videt  
Primus coronam martirii, decus,  
Levita Christi ter beatus,  
Angelicus cui vultus insons.

Herodis astu divus Apostolus  
Jacobus orans martyrium subit,  
Omnes canebant jam triumphum,  
Discipulis Solyma fugatis.

Incarceratur Petrus Apostolus;  
Infernus ut non praevaleat, cui  
Claves dedit coeli Redemtor,  
Ecclesiae regimen Beato.

Pro pace flunt assiduae preces;  
Lumen refulgens, Angelus astitit,  
Hic excitat Petrum, caduntque  
Istius a manibus catenae.

Orant Fideles; liberat Angelus  
Ecclesiae de carcere Principem,  
Herodis autem mors secuta  
Pessima, vermibus interivit.

Perinde Summi Pontifices mala  
Passi fuerunt, Ecclesiae Duces,  
Quos Christus Auctor gratiarum  
Protegit et juvat in supernis.

Multas acerbas Septimus et Pius  
Expertus horas, ut reliqui boni  
Perferre sortem debuerunt,  
Quam tribuit Deus et Prophetis.

Ortus Cesena nobilis hic Comes  
Chiaramonti, qua juvenis bonus  
In Ordinem mox Benedicti  
Intrat, ubi studiis vacabit.

Romae Professor tum Theologiae  
Felix amorem Pontificis Pii  
Sexti lucratus, Tivolensis  
Factus Episcopus, Imolaeque.

Electus alter Paulus Apostolus  
Portare Christi nomen ad exterias  
Provincias, perpessus ille  
Infima consilio Superni.

Aeternus autem tempore congruo  
Qui novit omni suppetias dare,  
Protexit alte gloriosum  
Pontificem Superis amatum.

**Et ait Dominus: Vade, et revertere  
in viam tuam.**

Vates Elias pertulerat satis  
Injuriarum, tunc patientia  
Illum, velut Jobum celebrem,  
Deseruit, petiitque mortem.

Orans in nmbra juniperi dein  
Obdormit, illi mox tulit Angelus  
Panem, comedit, roboratus  
Ulterius celer ambulavit.

En usque montem venit Horeb Dei,  
Zelatus actu pro Domino Deo,  
Quem dereliquerunt maligni,  
Dum gladio perimunt Prophetas.

Audivit Altum: Vade revertere  
Via probata consilio meo  
Nunc in Damascum, principesque  
Unge duos, simul Eliseum!

Celsi voluntas Numinis et Magis  
Ostenditur per Sidus et Angelum,  
In Bethlehem dum quaeasierunt  
Hi Dominum, genitumque Regem.

Quae sit voluntas porro Dei Patris  
Superna, Joseph sponsus amabilis,  
Sanctae Mariae tutor, aequa  
Audiit admonitus per Altum.

Dum Saulus olim persequitur pios  
Christi Fideles, lux super hunc venit  
Coelestis, audit; Saule, quid me  
Persequeris Dominum per urbes?

Jesus ego sum, surge fideliter,  
In civitatem vade, tibi dein  
Dicent, quid et te Christianum  
Semper oporteat aemulari!

Audivit aequa Septimus hic Pius,  
Quae sit voluntas Numinis, ipsius  
Permissio, parebat, ivit,  
Quo Dominus Deus evocavit.

O altitudo, plena scientia  
Dei, potestas, et sapientia;  
Quis comprehendit Sempiternum  
Consilarius ejus unquam?

Amara valde conspicui Viri  
Per tanta pridem saecula sustinent;  
Num fata ludunt hic iniqua?  
Omnia consilium Superni!

Multos per annos Job tolerat mala,  
In fine postquam sustinuit probam,  
Praestans ut argentum per ignem,  
Is benedicitur a Creante.

Dein Elias historia nitens,  
Victor in curru fulgidus ignes  
Ingressus aedes Angelorum,  
Qui fuerat mala passus olim.

Sic finis hujus Pontificis Pii  
Laetus triumpho salvifica rei  
Evasit, orbis dum serena  
Pace frui valuit per annos.

Paucis in hymnis non valeo modo  
Res universas, historicus velut  
    Scriptor, celebratas referre,  
    Sufficiet breviter notasse:

Summos quod omnes Pontifices juvet  
Regina coeli, namque Vicarii  
    Sunt hi Redemptoris, beati  
    Totius Ecclesiae Magistri.

Haec Christianis subvenit omnibus,  
In rebus atris auxilio suo  
    Divina Mater gratiarum,  
    Regibus et populis Patrona.

Adversitates Ecclesiae Dei,  
Provinciarum perniciem, mala,  
    Noxae reatum praecavere  
    Diligit exime Maria.

Istius almo praesidio Pius  
In mense Majo, pace novissima  
    Facta, dein Romam reversus,  
    Ecclesiae subito triumpho.

# PIUS VIII.

(Anno 1829.)

**Deus homini bono in conspectu suo.**

**F**it Papa Castiglioni de Cardinalibus,  
In nostris Viri boni cui laus annalibus,  
Ut tales Malachias eum praedixerat;  
Et vere coeli vias Pius dilexerat.

Supernus intuetur cor nostrum Dominus,  
Nam omnia tuetur ut praesens cominus.  
In ejus qui conspectu bonus, amabilis,  
Et hominum respectu est dignus humilis.

Qui boni, diliguntur ab omni homine,  
Ad munus eliguntur felici nomine;  
Ingenui sunt grati choris Angelicis,  
Libellis celebrati in Evangelicis.

In nocte Jesu nati Excelsi gloria,  
Honores nuntiati, Dei memoria ;  
Superna Angelorum videtur acies,  
De gaudio pastorum jucunda facies.

In terra moderatis jam pax hominibus  
En bonae voluntatis, affectu lenibus ;  
Nam pacis Auctor bonus dein apparuit,  
Coelestis cuius thronus aeternum claruit.

Perfecte modo scimus, cur sensus homini ;  
Ut probi semper simus conspectu domini.

In sola nam virtute humana dignitas,  
Dum procul a salute caduca vanitas.

Habenda in divinis haec observantia :  
Objectum, qualis finis, et circumstantia.

Hinc opus, lector bone ! eo perfectius,  
Quo nos in actione sentimus rectius.

Quo animi virtute est homo clarior  
A sua juventute, Aeterno charior.  
In regno Dei quales nos operarii,  
Franciscus inquit, tales sumus, non alii.

Virtutes inter almas praecellit charitas,  
Triumphi tenet palmas divina veritas ;  
Qui osor est Superni, vitaeque proximi,  
De faucibus averni num valet eximi ?

Scripturae verba scitis, vivebat epulo  
In pauperes immritis, non dico nebulo ;  
Mox vapulat inferno, horrenda visio,  
Dum Lazarus superno fruens elysio.

Si linguis Angelorum loquar, Apostolus  
Ajebat, proximorum si non benevolus  
Adjutor et amicus, nil mihi proderit,  
Dei sum inimicus, cum pravos oderit.

Ut sonans aes effectus, quod tinnet, cymbalum,  
Nec Superis dilectus affectum ob malum ;  
Si noscam ut Propheta poli mysteria,  
Scientiaque laeta, miranda, seria ;

Si fides mihi Vatis, ut montes transferam,  
Defectu charitatis nil gratum offeram.  
Fidelis claret vita, cum spe, jejunio,  
Sed amor margarita, coelestis unio.

Dum rogat unus Christum, quid boni voveat,  
Audire debes istum, quid huic respondeat:

Est solus Deus bonus, perfectus, providus,  
Sublimis ejus thronus in coelo fulgidus.

Oportet aemulari virtutes illius,  
Ut possis nominari tu bonus Filius,  
Pius ne falso sum dicas fors testimonium,  
Cum te Aeterno dicas meres praeconium,

Cum haec a juventute servaret placitus,  
Pro animae salute nimis sollicitus;  
Dilexerat Salvator hunc valde dominus,  
Virtutis nam amator, bonisque cominus.

In mundo quidem mali, sed providentia  
Et tales sinit ali ut Dei entia;  
Nam bonitas immensa favoris illius,  
De universi mensa non exsors filius.

Tibique dum libertas, o bonum eligas,  
A malo te avertas, et Numen diligas;  
Sic aevi paradiso gaudebis laureo,  
Tunc Agno Dei viso beatus aureo.

**Dedit sapientiam et scientiam.**

Profecto ipse gaudes ad sapientiae  
Et Salomonis laudes, jubar scientiae.

Et merito, nam ille potens in opere,  
Suo praeivit mille peritis tempore.

Amavit Salomonem Deus pacificum,  
Spectabilem praeconem, fori causidicum,  
Qui Gabaon altare et tabernaculum  
Invisit, immolare jussitque populum.

Hic coeli Moderator ei per somnium  
Apparuit, Creator qui rerum omnium.

Quod vis, ait eidem, a Me nunc postula !  
Fautor i dixit idem haec mente credula :

Fecisti cum Davide misericordiam,  
Qui fovit pia fide regni concordiam  
Dedisti super thronum sedentem filium,  
Necesse valde bonum huic consilium,

Nunc, oro impleatur, quod es pollicitus,  
Dei me tueatur favor sollicitus;  
Fecisti me regnare, sum autem parvulus,  
Qui vellem ambulare perfecte, credulus.

Electus sum in Regem, praefectum populi;  
Observerunt omnes legem Sanctorum aemuli.  
Non possunt numerari prae multitudine.  
Nec regni moderari in magnitudine.

Digneris ergo dare cor mihi docile,  
Ut possim judicare quod aequum, facile.  
Discernam malum bonum in sapientia,  
Exornat enim thronum intelligentia.

Dum sermo placet ille precantis Dominum,  
Hic ait: Vitae mille dies, aut hominum  
Quum non petisti mortem, sibi divitias,  
Honores, aevi sortem bonam, delicias;

Sit tibi jam quod eges, nunc sapientia,  
Quam nulli habent Reges, item scientia,  
Et gloriam donabo, simul divitias,  
Substantiamque dabo, et amicitias!

Jam notum tibi, lector! quod sanctus Spiritus  
Ecclesiae sit Rector, virtute praeditus;  
Umbrosi dux averni est hostis illius,  
Sed Patris hanc superni tuetur Filius.

Insignes qualitates habebat lucifer,  
Dum odit veritates, evasit mortifer;  
Praeclaro olim dono Dei, scientia  
Effulsit coram throno, intelligentia.

Creatur paradisus, ac aevum incipit,  
Ut serpens daemon visus Adamum decipit.  
Nunc genius appetet venustus temporis,  
Cultura, numo claret, honore decoris.

Regendo justus, svavis videri nititur,  
Principiis dum pravis, dolo innititur;  
Sed statim, homo, nosces, an praeco sit Dei  
Ut primum Christi posces amorem fidei.

Superbus enim plura vult scire reliquis,  
Non aestimat futura, ut Yates aliquis;  
Scientia in primis nam inflat, emicat,  
Dum charitas sublimis magis aedificat.

Conjunxit charitatem cum sapientia  
Pius, gubernans ratem Dei prudentia,  
A sua juventute dilexit Dominum,  
Oravit pro salute quae finis hominum.

Provincia Anconae ex urbe Cingoli  
Prognatus vacat bonae fovendae indoli,  
Qui aureis talentis nitens, ingenio,  
Virtutis documentis et praestat senio.

In Universitate is Philosophiae  
Fit Doctor, claritate mox Theologiae;  
Egregie docebat hic Jus Canonicum,  
Et studium fovebat in vita Ethicum.

Fidelis servit Alto, cum noster is scopus,  
Effectus de Montalto dein Episcopus;  
Cesenae Cardinalis virtute emicat,  
In zelo genialis pro fide dimicat.

Tum Pontifex creatur, ut grex Dominicus  
Sit unus, exhortatur, et Pastor unicus.  
Scientia Sanctorum Pius eminuit,  
Malorum bibliorum influxum minuit.

### Et Laetitiam.

Concessum huic ingenti frui laetitia,  
Hiberniae dum genti favent auspicia.

Defensor libertatis O'Connel Daniel,  
Tunc ratione Vatis antiqui Daniel.

Heu reformationes, dolet Hibernia  
Per Angliae praecones item gubernia;  
Catholici ob fidem et acta sedula  
Postpositi, et quidem per duo saecula.

Secuta Hibernorum Associatio,  
Dein Catholicorum Emancipatio,  
Qui modo obtinere jam regni munia,  
Et bona possidere valent immunia.

Ut pater omnis gaudet, si captus filius  
Jam liber esse audet, cum nil humilius;  
Sic Pius est laetatus, cum tanti filii  
Sunt liberi, amatus Sol Evangelii.

Post nubila his fulsit jubar amoenius,  
Queis antea indulsus nil mundi genius.

Jam potes cogitare illorum gaudium,  
Qui diu tolerare debebant odium.

Triumphi sociales dum hae laetitiae,  
Insontis cordis quales erunt deliciae?

In Bethlehem pastores pie considera  
Concentus auditores, spectantes sidera.

Jucundo potiuntur hi corde parvuli,  
Laetitia fruuntur Sanctorum aemuli.

Dum hymnum audierunt ii Angelicum,  
Festini adierunt Mariam, Coelicum.

Si jubilus pastorum est tantus, Mariae  
Quo major, Angelorum dum sonant ariae?  
Infantem adorarunt, nam Dei Filius,  
In hoc se recrearunt, nil amabilius.

Sic Joseph est gavisus contemplans Dominum,  
Credebat, paradisus hic novus hominum.  
Sunt vere decus loci: Dei Familia,  
Narcissi, thyma, croci, et rosae, lilia.

Tum veniunt tres Reges ac Natum Virginis,  
Patebat juxta leges locus originis;

Nam stella quae eluxit his Magis antea,  
Ad Puerum adduxit eosdem postea.

Videntes hanc gavisi sunt magno gaudio,  
Herodi mox invisi, qui flagrat odio.

Intrantes Dei domum thesaurum conferunt,  
Et Christo auri donum, thus, myrrham offerunt.

Sed aliae sunt multis adhuc laetitiae  
Praesertim aevi cultis placent deliciae;  
Has Salomon notavit in sua biblia,  
Qui omnia probavit, quae amabilia.

Rex Israel amatus in sapientia  
Est cuncta contemplatus in mundo entia.  
Doctrinam et errores, dein stultitiam  
Inquirit, ac honores, decus, scientiam.

Vult scire, quid in rebus amoenis, gloria,  
Naturae speciebus, pia memoria?

Num vero in hoc mundo potitus gaudio?  
Sors anceps in jucundo, dicentem audio.

Gaudere omni bono, frui deliciis  
Vult Salomon in throno, et amicitiis;  
Aedificat auratas domos, pomaria,  
Piscinas sibi gratas, nemus, rosaria.

Possedit hortos, villas ad ruris otium,  
Tum servos et ancillas, et greges ovium.  
Argentum cumulavit nitens honoribus,  
Cum musis exultavit, item cantoribus.

Istarum quisnam finis est rerum omnium?  
Sunt velut umbra, cinis, inane somnium!  
Hoc Salomon perspexit, dum scribens: Vanitas  
Sunt omnia! dilexit, que poscit veritas.

In pace, corde bono viget laetitia,  
Fors major, quam in throno, ubi justitia.  
Nam homini virtute pio scientiam  
Dat Deus pro salute, et sapientiam.

Quod majus donum talis optaret prosperum,  
Quem manet immortalis corona Superum?  
In mundo homo rectus dignus honoribus,  
Et Angelis dilectus, qui prestat moribus.

# PIUS IX.

(Electus A. 1846.)

## In medio Ecclesiae.

Jam Pius Nonus celebrandus Oda  
Sapphica, regnans modo gloriose  
Papa-Rex summus Pater et Magister  
Catholicorum.

Audias, quidnam Pietas loquatur,  
Christianorum decus atque virtus,  
Ad Viros alte meritos, Poetas,  
Historicosque :

Clareo nona vice nunc triumpho,  
A Redemtoris venientis aevo,  
Nota per cultum bene Civitati,  
Ecclesiaeque.

Pontifex omnis radiavit alte,  
Qui meum nomen sapiens amavit,  
Illius causa licet innocenter  
Passus iniqua.

Sic Pius Primus simili corona  
Claret ut Paulus, vel Apostolorum  
Alter, ob cultum fidei refulgens  
Martyris actu.

Discis annales? Pius et Secundus  
Auctor excellens nituit librorum,  
Jure, doctrina celeber, Poësi,  
Historiaque.

Et nepos ejus, Pius ecce Papa,  
Tertius, vivens aliquot diebus  
Ut coronatus, nimis aestimatur,  
Celsus honore.

Quartus in mundo Pius universo  
Notus ex actis Synodi Tridenti,  
Cujus ad finem Canones fideli  
Publicat orbi.

Lux Pii Quinti magis enitescit  
Tertio festo modo saeculari,  
Noxios postquam fugat ille Turcas,  
    Sanctus honore.

Tunc Pius Sextus patiens, disertus,  
Gratia praestans, et amicus artis,  
In throno Petri celebratur ultra  
    Sex quater annos.

Septimus porro Pius hunc secutus,  
Qui dein unxit Sacer Imperantem  
Galliae, sortem variam subivit,  
    Fine triumphans.

Doctor Octavus Pius ante juris,  
In Petri sancta Cathedra refulsit  
Ut bonus Pastor gregis universi,  
    Dignus amore !

Haec mihi postquam Pietas locuta,  
Svaviter cessat, quasi praeparare  
Semet ad longum voluisset actum,  
    Elogiumque.

Denuo coepit Pietas profari:  
Est Novem felix numerus beatus;  
Trinus in coelo, tria ter canuntur  
                    Sanctus in hymno.

Et novem coetus colis Angelorum;  
Kyrie eleison iterant ministri  
Et Sacerdotes novies in ara,  
                    Cum pietate.

Sic novem Papae numerantur huic dum,  
Queis erat nomen „Pius“ in Cathedra  
Inclita Petri, bene providente  
                    Cuncta Superno.

Nonus electus Pius, en Tiara  
Mox coronatus populi triumpho,  
Papa-Rex Romae, Patrimoniique  
                    Jura capessit.

Obsequens Ecclesia tota gaudet,  
Pontifex summus diadema gestans,  
Pax, ait, Vobis! medio Suorum,  
                    Quos benedit.

**Aperuit os ejus.**

Dum videt Jesus, ad eum venire  
Plurimas turbas populi fidelis,  
Ivit ad montem, medioque sedit  
Discipulorum.

Os suum clemens aperit docendo :  
Pauperes, mites, humiles, Beati,  
Hi Dei regnum quia possidebunt  
In bonitate.

Corde qui mundo, Dominum videbunt,  
Porro lugentes, miseratus omnis,  
Pace qui clarent, sitiuntque justa,  
Crede, Beati.

Si bonos odit genius malignus  
Ob fidem Christi, pietatis actum,  
Gaudeant illi, quia summa coeli  
Praemia, merces !

Sic Pius Nonus velut Antecessor  
Omnis ejusdem, probitate vitae  
Ac fide claros, humiles, Beatis  
Annumeravit.

Canonizavit radiante nimbo,  
Laude Sanctorum, tituloque dignos,  
Martyres, doctos, meritis coruscos,  
Religiosos.

Ecce me dicent generationes —  
Virgo jam pridem cecinit, — Beatam,  
Quum Potens fecit mihi magna, sanctum  
Nomen o Ejus.

Veritas hymni nituit per aeua,  
Cum Dei, sanctae Mariae, Fideles  
Maxima sane veneratione  
Festa colebant.

Tum Pius Nonus Patribus, Prophetis  
Consonans illam sine labe sancte  
Esse Conceptam bene nuntiavit,  
In decus aevi.

Ut Petrus dixit medioque Fratrum :  
In locum Judae pius eligatur  
Sorte coelesti Vir, Apostolorum  
Munere fungens ;

Ut dein Petrus Solymis diremit,  
Spiritu sancto Duce, congregatis  
Fratribus, litem, sua vota primus  
Quando ferebat :

Sic Pius Nonus, quia dignitatis,  
Muneris Petri genialis haeres,  
Jure Romano solio potitus,  
Summus honore.

Convocat Coetum populi fidelis,  
Et Sacerdotum, vel Episcoporum,  
Lege divina; benedit Orbi  
Voce sonora.

Sicut oraculum veneramur ejus  
Verba, dum Coetus medio profatur.  
Edocet, laudat, monet, aut precatur  
Omnipotentem.

Christianorum Pater et Magister,  
Pontifex infallibilis manebit  
Rebus incunctis fidei, Superni  
Dogmate, morum.

Ejus ex alta Cathedra loquentis  
Verba sunt nobis Salomonis, imo  
Ipsius Christi documenta, coeli  
Jussa beata.

Forte vis, causas bonitatis ejus  
Legis in rebus fidei notari ?  
Scito, quod Papae reverenda Juris  
Dictio summa.

Pastor excelsus quia millionum,  
Summus in mundo pariter Sacerdos,  
Doctor et Judex populi, Ducumque  
Catholicorum ;

Spiritus sanctus docet ipse Papam,  
Ut Dei Coetum regat universum,  
Praeco virtutis quoque veritatis,  
Nomine Christi.

**Et implevit illum Dominus.**

Gratia Virgo benedicta plena  
Dicitur, quando paranymphus illi  
Angelus coeli tulerat salutem,  
Missus ab Alto.

Si quis et nostrum Domini favore,  
Gratia Christi, sapientiaque  
Indiget; supplex roget, obtinebit  
Dona superna.

Sic Pius fecit modo gloriose  
Pontifex regnans, juvenis Joannes  
Mastai-Ferreti Comes educatus  
Religiose.

In statu primum, puto, militari  
Vult suam vitam patriae dicare  
Commodo, verum fuit impeditus  
Omine fausto.

Quando Lauretti Comes hic in aede  
Virgini sacra precibus vacabat,  
Obtinet facta Cruce sanitatem,  
Prosper in aeva.

Proficit Romae bene Graciosi,  
Qui libros sacros docuit, magistro;  
Jure, doctrina, sapientiaque  
Claruit alta.

Attamen princeps humilis manebat,  
Postea factus Domini Sacerdos,  
Moribus candens operi studebat  
Auxiliari.

Tata Giovanni locus est amatus  
Ejus, hic Primum, Sacra tum Secunda  
Orphanis charus tenuit Sacerdos,  
Papa deinde.

Ipse Legatus quoque Missione  
Fungitur praestans, in Americanis  
Rebus et gestis nimis eruditus,  
Ingeniosus.

Utque Director Michaelis aedis,  
Quae simul carcer, schola, polytechnum,  
Orphanis aequa, sociis laboris,  
Instar asyli;

Experimentum capit ille pulchrum,  
Mille per casus hominum peritus  
Factus, ut virtus hodieque mire  
Clareat ejus.

Archi-conscendens is Episcopale  
Urbe Spoleti solium, deinde  
Imolae, Pastor gregis, Instituta  
Plura creavit.

Nempe Convictus studiis dicatur  
Theologorum, domus orphanisque;  
Virginum coetum docuere sacrae  
Rite Sorores.

Praesul addictus bene juniorem  
Educat Clerum, Senioris aequa  
Commodum zelat, populi salutem,  
Emolumentum.

Fit dein Romae quoque Cardinalis,  
Plurium judex ubi constitutus  
Jura defendit, bona promovebat  
Ecclesiarum.

Hora felicis benedicta venit  
Mastai-Feretti Comitis Joannis,  
Qui Sinigagliae Patrimoniali  
Natus in urbe.

Pontifex summus Gregis universi  
Christianorum fuit ille Pastor,  
Doctor electus, fideique magnus  
Ecce Sacerdos.

Tum coronatus nituit Tiara,  
Dives applausu populi, Senatus,  
Papa-Rex Urbis, Patrimoniique  
Jure potitus.

Sic decoratum veneramur omnes,  
Spiritu postquam sapiente coeli  
Christus implevit Dominus Magistrum  
Catholicorum.

### Spiritu Sapientiae.

Dum Sacris undis Dominum Joannes  
Tinxerat, sanctus specie columbae  
Spiritus venit super hunc, Patrisque  
Vox sonat alti:

Filius praesens meus est amatus,  
Claret humani generis Redemtor;  
Lege Messiam, Dominum, Magistrum  
Audiat omnis !

Gratiam talem Pater exhibebat  
Coelicus multis famulis beatis;  
Inter electos numeramus ambos  
Gregoriosque;

De quibus Magnus celebratur unus,  
Pontifex summus, sapiens, amatus  
Doctor a Graecis, pariter Latinis,  
Ob pietatem;

Septimum felix o Gregoriumque  
Spiritus visit specie columbae,  
Christianarum docuit regentem  
Ecclesiarum.

Quando Conclavi Pius est profectus  
Insidens rhedae, medio viarum  
Venit ex alto super hunc columba  
Candida, pulchra ;

Illico, Vivat! populus videndo  
Ista, clamavit, quia Cardinalis  
Spiritus sancti nitido futurus  
Omine Papa!

Eja divini Pius hic amoris  
Saepe jam donum, sapientiaeque  
Pandit, in Petri Cathedra vel extra,  
Sancta locutus.

Nec tibi mirum videatur istud,  
Nam Deus munus cui dat supremum,  
Gratiam summam dare non omittet,  
Coelica dona.

Disciplinatus sapiens in aevo  
Diligit tantum bona, quae Superno  
Complacent, felix operi vacare  
Si valet ample.

Fructus ejusdem sapientis, actus  
Castus et svavis, locuples amore;  
Gentium nunquam, decor ille solum  
Catholicorum.

Pacis in mundo sapiens amicus,  
Pace resplendens animique gaudet;  
Ordinis pravus socialis autem  
Est inimicus.

Rebus in cunctis sapiens modestus;  
Impius vero fidei reluctans,  
Arrogans, vanus, tumidus, superbus  
Haeresiarcha.

Diligit fratrem sapiens, amore  
Nam Dei flagrat Patris, en creati  
Filii cuius sumus, et redemti,  
Sanctificati.

Spiritus sancti pretiosa dona  
Novimus septem: quibus erudimur,  
Atque salvamur, Deus ipse digne  
Glorificatur.

Mundus his debet sociale quodvis  
Commodum, mirum decus, instituta  
Pacis, humani generis salutem,  
Justitiamque.

Coelicum donum, pietas, timorque  
Est dei praestans, o scientiarum  
Norma, doctrinae, genialis artis,  
Et studiorum.

Ut viros doctos amat hic supernus  
Spiritus, Clerum, populum fidelem,  
Virgines sacras, Monachos adauget,  
Dum regit orbem.

Mille presertim creat ille Sanctos ;  
Munus et dotes, sapientiamque  
Praesidi summo tribuit benigne  
Ecclesiarum.

**Et intellectus.**

Spiritus sancti geniale munus,  
Est intellectus, fideique lumen,  
Quod voluntates, hominisque mentem  
Afficit omnis.

Lux viget triplex: Ratio, fidesque,  
Ac intellectus! speciale donum,  
Quo penetramus melius superna,  
Gratuitumque.

Lumen humanae rationis aequat  
Lampadi, quae vix tenebras in atra  
Nocte consvetas valet effugare  
Forsan eunti.

Clarius multo fidei serena  
Lux micat, cuivis homini salubris,  
Spissa caligo, sed ibi lucerna  
Religionis.

Sol intellectus cito dissipabit  
Mentis obscurae nebulam, beate  
Ambulas claro duce veritatis,  
Justitiaequa.

Istud appetet per imaginemque:  
Si manu parvam teneo lucernam,  
Res domus noctu modice videbo,  
Ingrediendo.

Si nitens lustri jubar in cubili,  
Mille candellae tremulae, micantes  
In loco coene decus eminentia,  
Plus videt omnis.

Si die quadam media revisis  
Hunc locum posthac radiante Sole,  
Luce perfecte nimis in decore  
Cuncta videbis.

Ergo quid cernunt oculi beati  
Spiritus nostri? bene veritatem!  
Ordo naturae, quoque gratiarum  
Clarus eidem.

In libris sacris ea continetur,  
Tecta sed velo, quod erit levandum;  
Spiritus sanctus fidei revelat  
                Mystica sacra.

Antequam coelos in honore divo  
Christus ascendit, nec Apostolorum  
Mens erat constans, satis erudita,  
                Sicut oportet;

Spiritus sanctus veniens, eosdem  
Pentecostali radiante flamma,  
Fecit audaces, simul intueri  
                Coelica mire.

Explicat Petrus populo fideli  
Verba Scripturae, Deitatis acta;  
Mille conversi, quia comprehendunt  
                Pignus amoris.

Mille manserunt tamen infideles;  
Sic fide plures hodieque sancta,  
Rebus intenti nimis hujus aevi,  
                Destituuntur.

Ecce progressus locuples ubique,  
Membra dum solers Anatomus arte  
Dissecat, praestat Chemicus labore  
Materiei.

Flosculos blande colit hortulanus;  
Solis, aurorae, Veneris, Jovisque,  
Mille stellarum decus explicare,  
Laus Sapientum.

In mari spectas cito navigantes;  
Igneus currus vagus eja transit  
Plurimas urbes; volitans in altis  
Aéronauta.

Cursus electri, vapor atque flamma,  
Lux, aquae, vitrum, lapides, metalla  
Charta, vel flores, radiique Solis,  
Semper amati;

Plus amant Numen, quibus est superni  
Dos intellectus! — Fletas locuta,  
Haec Pii Noni comes et patrona,  
Lector amice!

**Et stolam gloriae induit eum.**

Postea dixit Pietas et ista;  
Jam Pium Primum eecini Beatum,  
Aemulus Pauli quia gloriosus,  
                          Martyr ut ille.

Tunc Pius venit titulo Secundus,  
Qui suo dictus Salomon in aevo,  
Namque doctrina, sapientiaque,  
                          Carmine fulsit.

Tertius porro Pius in Tiara,  
Vestibus sacris radiavit, auro,  
Charus in coetu populi fidelis,  
                          Sicut Aaron.

Pontifex Quartus Pius aestimavit  
Atque dilexit nimio decorem  
In domo sancta, velut ipse David  
                          Inclytus hymno.

Gratus, acceptus populo Moyses;  
Papa sic Quintus Pius universo  
Orbe dilectus, Dominoque charus,  
A probitate.

Invocat vates Samuel Potentem;  
Et Pius Sextus Dominum precatus,  
Ut fuget Petri ditionis hostes,  
Ecclesiaeque.

Pro Deo zelans sapiens Elias,  
Multa qui passus, celebri triumpho  
Alta conscendit; Pius ecce sortis  
Septimus hujus.

Doctus Octavus Pius enitebat,  
Mentis et cordis bonitate clarus;  
Moribus laetis celebratus aeque  
Ecclesiastes.

Nunc Pius Nonus regit universi  
Orbis in Christo Domino Fideles,  
Fonte baptismi levat is Joannis  
Nomen et omen.

Eminens Evangelii beati  
Scriptor in toto celebratur orbe,  
Spiritu pacis, sapientiaque  
Plenus, amore.

Apocalypsi retulit Joannes,  
Qualis in coelo stola, palma, cantus,  
Sors Beatorum, thronus, usus Agni,  
Gloria Sanctis.

Hi recensiti modo Patriarchae,  
Et novem Papae meritis nitentes  
Gloriam mundi bene sunt adepti,  
Gentis honores.

Noster in primis Pius eruditus  
Ornat annales, spatio ter octo  
Papa-Rex annis populum gubernans  
Nomine Christi.

Ecce Mentana regione victor  
Miles ejusdem pietate clarus ;  
Imo Castelli facinus Fidardi  
Claret in orbe.

Ille Conceptae sine labe nostrae  
Crede, Reginae, velut Angelorum,  
Virginis sanctae decus ac honores  
Dogmate sanxit.

Canonizavit quoque Japanenses  
Martyres, Sanctos, is Episcoporum  
Gloria cinctus, simul octo mille  
Presbyterorum.

Gaudio felix ita Saeculare  
Claruit festum speciale Petri,  
Lux erat splendens in Apostolorum  
Principis aede.

Eminet templum modo Vaticanum,  
Coetus effulgens ibi dignitate,  
Spiritu sancto Duce congregatus,  
Optima curat.

Praeses illius Pius ecce Nonus,  
Quem probe Christi Domini decorat  
Gloriae Crux de Cruce passionis,  
Vivat in aeva !

## VIRI PIETATIS.

Magnificum donum Pietas, data gratia coel*u*,  
Utilis infusus nobis habitus, quoque lume*z*.  
Religionis homo virtute nitet, probus Alt*o*  
Obsequium praestat, Dominum veneratur eunde*M*,  
Ecce Creatorem, formidat amabile Nume*z*,  
Ac divi Regis Maj*u* statem, soliumqu*E*.  
Blandum sed donum coe*u*, Pietas, Et amoenu*z*,  
Rite suos cunctu Christi sublimis adorna*E*,  
Elysii decus ut recol*p*nt, pius h*u*mnus Eiqu*E*,  
Vitae qui nostra*e* Custo*g* in amore dicetu*B*.  
Aternumque Patrem nos dilig*u* us sapiente*B*,  
Res omnis p*ar*iter sacr*p*ta Deo reverend*P*,  
Reginae Coeli tum co*z*is mago per orbe*M*,  
Eccliae Christi cult*u*s Venerabilis alt*E*.  
Tum Pietas tr*b*uit laet*u* p*ar*cem, quia feli*z*,  
Sicut erant i*u*la Samue*l* David recreat*u*,  
Innumeri Reg*u*s alii virtute potentes. — A  
Blanda pios Gaudens ex Elycio genial*I*,  
Ritu Romano qui Cath*o*li*o*i, benedici*E*.  
Ordinis omnis Amica, si*u*l Cleri, quia doctu*s*  
Sacerdos, tum Vitae ratione re*u*uet in aev*o*,  
Eximum v*u*luti sa*u* terra*z*, nobile lume*z*,  
Ne non Urbo in mont*u*nis cel*u*issima vis*u*.  
In primis cel*u*bres sunt fastu*u* Pontificatu*s*,  
Festive referunt omnes Pap*p*s in honore*E*,  
Nominis insig*z*es, quoque cuius mortis in aev*o*  
Illi dum Cathedr*u* Rome sanc*u*a potiuntur*B*.  
Tantos praeclar*o*s, magnosque Viros ego vers*u*  
Et cantu celebro, us, Ac Pietati*u* amore*M*.

**Pag. lin. errata corrige.**

16	intr.	7	obtinet,	obtinet.
30	inf.	9	crescit	crescit.
30	inf.	8	Si	Si tamen
52	sup.	4	saera	tum sacra.
59	sup.	2	fida	fide.
94	sup.	2	aeviv	aevi vocatus
97	sup.	9	laebat	latebat
105	sup.	7	nmbra	umbra
107	sup.	4	consilir	consiliarius
107	inf.	7	ignes	igneo.
108	inf.	5	exime	eximie.
113	inf.	1	consilium,	consilium.
119	sup.	1	ac	ad
120	inf.	9	que	quae
122	inf.	8	Papa,	Papa
127	inf.	3	profatur.	profatur,
138	sup.	10	candellae	candelae
138	sup.	11	coenc	coenae
142	inf.	2	babtismi	baptismi

Knjižn

ESSEKINI 1869,  
Typis Ignatii Mederschitzky.